DE COPIAE VERBORVM DIFFERENTIIS INTER VARIA POESIS ROMANAE ANTIQVIORIS GENERA INTERCEDENTIBVS.

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICVS PLOEN

MEGALOPOLITANVS.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER.

MDCCCLXXXII.

Aulae Vimariensis officina typographica.

In hoc opusculo respexi omnia opera poetica ante Catulli et Lucreti mortem condita et quae integra sunt seruata (ueluti comoediae Plautinae et Terentianae et Lucreti libri Catullique carmina nec non inscriptiones poeticae), et quorum fragmenta tantum ad nos peruenerunt; ex Ciceronis autem scriptis poeticis adhibui omnia quae manserunt praeter illa, quae in libris philosophis ex tragoediis graecis conuertit. Contra neglexi Varronis saturas Menippeas, cum nec satis constet, quo tempore scriptae sint, et maior earum pars prosa oratione condita sit. Vbi tamen occasio data est, earum rationem habere ex re putaui.

Sed priusquam rem ipsam aggrediar, facere non possum quin Guilelmo Studemund praeceptori optime de me merito summas agam gratias, qui et in scholis Argentorati habitis multa ad hanc quaestionem pertinentia nobiscum communicauit et in toto hoc opusculo conficiendo nec consilio nec re mihi defuit.

§ 1.

De uariorum poesis generum reliquiis.[1])

I. Poesis lyrica usque ad medium saeculum septimum fere solis inscriptionibus continetur. Nam Saliorum et fratrum Arualium carmina non ad litteras proprie dictas pertinent; Andronici et Licini Tegulae hymni omnino perierunt; paucissima exstant fragmenta carminis Nelei et Priami et epigrammatum Ennianorum, praeterea Naeui Plauti Enni Pacuui elogia. Crescit inde a medio septimo urbis saeculo numerus fragmentorum. Equidem ea quae nondum diligenter collecta sunt et lyricorum et ceterorum generum ipse ex scriptoribus conquisiui; ceterorum una cum Catulli carminibus L. Muelleri editionem Catullianam adhibui; inscriptiones poeticas ex CIL primo uolumine in meum usum conuerti.

II. Epicae uero poesis duo genera secernenda sunt: uetustior illa aetas numeri Saturnii, ex qua aetate Andronici Odussiae et Naeui belli Poenici fragmenta exstant

---

[1]) Notis usus sum his:

A — Accius in tragoediis; A did. — in didascalicis; A pragm. — in pragmaticon libris; A^a — in annalibus.
C — Catullus.
Cic. — Cicero in poematis epicis; Cic. poet. significat cetera eiusdem carmina.
E — Ennius in tragoediis; E^a — in annalibus; E^s — in satiris; E^h — in heduphagetico.
inc. — incerti auctoris fragmentum tragicum.
L — Lucilius.
Li — Liuius Andronicus in tragoediis; Li Od. — in Odussia.
Lr — Lucretius.
N — Naeuius in tragoediis; N^p — in bello Poenico; N^c — in comoediis.
P — Plautus.
Pa — Pacuuius.
T — Terentius.
V — Varro; V Atac. — Varro Atacinus; Vs.M. — Varro Reatinus in satiris Menippeis; V l. l. — idem de lingua latina; V r. r. — idem de re rustica.

paucissima; recentior aetas hexametri multa et clara uidit ingenia saeculis urbis sexto et septimo. Sed omnium carmina genuina perierunt praeter Lucreti de rerum natura libros et Arateorum Ciceronis non spernendam partem, quae continua uersuum serie legitur. Horum carminum usus sum Lucreti editionibus Creechii, Lachmanni, Munroi, Bernaysii; Ciceronis Arateorum ceterorumque eiusdem fragmentorum editione a C. F. W. Muellero curata. Fragmentorum Ennianorum inspexi editionem Vahleni; Acci et Suei reliquiarum recensionem Muellerianam (Lucil. pag. 310 sqq.); Varronis Atacini editionem a Rieseo factam (satur. Menipp. pag. 261 sqq.).

III. In scaenico genere poesis integrae quidem exstant c o m o e d i a e Plauti et Terenti, ceterorum fragmenta, quibus a Ribbeckio secundis curis editis usus sum. Plautinarum fabularum partem pertractavi secundum editiones Fleckeiseni, Brixi, Lorenzi; ceterarum fabularum quantum potui recentissimas perlustraui recognitiones; Terenti eam quam Fleckeisenus curauit. Praeterea consului indices uerborum Plautinum Naudeti, Lemairei Terentianum.

IV. T r a g i c a e autem poesis priscae, cum integrae nullae exstent fabulae, fragmentis solis uti licet, quae secundis curis recensuit Ribbeckius.

V. Quintum genus poesis Romanae horum saeculorum, quorum rationem habebimus, s a t i r a m dico, carmen Graecis intactum, Ennius primus aggressus est, qui sub finem uitae diuersi generis carmina collecta edidit nomine saturarum insignita. Proximo post Ennium saeculo Lucilius totus se ad id genus applicauit, qui cum scribere et carpere sibi proposuisset, *si quod uerbum inusitatum aut zetematium offenderat,* maxime est dolendum quod eius opera non sunt seruata, cum in his ipsis infuerint etiam de cetera poesi aequali grauissima documenta. Fragmentorum quae exstant adhibui editiones Muellerianam et Lachmannianam.

Huic poesi satiricae subiungendum esse putauerim illud genus poesis didacticae, quod uersu iambico uel trochaico

uel sotadeo perscriptum est. Neque enim tantum σκωπτικά quae Graeci dicunt carmina in satiris Ennianis et Lucilianis legebantur, sed multa plane didactica, in quibus de uerborum scriptura et formatione regulae ac normae inerant. Quam ob rem fragmenta illa Acciana chorographiae et ephemeridis, Volcaci Sedigiti et Porci Licini qui de poesi Romana scripserunt, cum Lucilio aliquo modo consociari possunt.

His poesis Romanae sexti et septimi saeculi reliquiis usus si quis de differentiis uariorum generum quaerat, is statim intelleget, quam diuersus sit uariorum generum circuitus. Nam cum ex antiquiore tempore poesis epicae parua et perpauca supersint fragmenta, lyricae ne fragmenta quidem praeter inscriptiones illas sepulcrales, ex recentiore autem aetate maiora opera genuina et integra: in comoedia res contraria est, cum uetustioris integrae fabulae, posterioris exigua fragmenta ad nos peruenerint. Porro nec tragoedia ulla nec satira integra seruata est. Accedit quod comoediae Plauti et Terenti non exiguas mutationes expertae sunt iterum iterumque editae, cum ueteres formae uerborumque terminationes obscurarentur et cum recentioribus mutarentur. Denique eorum poesis generum, quae praeter fragmenta perierunt, frusta fere omnia, cum ob insignem aliquam formam uel notabile aliquod uerbum a sermone cotidiano recedens ab antiquis grammaticis citata sint, uix ueram pristinae totius operis indolis ac naturae speciem repraesentant. Quanta enim cautione opus sit in coniecturis faciendis ex fragmentis de tota dictione poetarum, intellegitur ex fragmentis A. Furi poetae epici. Cuius cum ei quos Gellius[1]) tradit uersus, etiamsi non abundant formis obsoletis, tamen priscam poesis indolem sapiant,

---

[1]) XVIII 11, 4: *Sanguine diluitur tellus, caua terra lutescit.*
Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae;
Increscunt animi, uirescit uolnere uirtus.
Sicut fŭlĭcă lĕuis uolitat super aequora classis,
Spiritus Eurorum uiridis cum purpurat undas.
Quo magis in patriis possint opulescere campis.

illos quos seruauit Macrobius[1]) ab ipso Vergilio pactos esse crederes. Nec latet eius rei causa; nam Gellius uersus ob uerborum formas tradit, Macrobius autem ob Vergili imitationem. At paucas poetarum reliquias habemus, quas ita ut Macrobius Furi uersus seruauerunt posteriores scriptores: pleraeque eodem modo ad nos peruenerunt, quo Gellius Furianos tradit. Quam ob rem in hac quaestione instituenda semper respiciendus est et circuitus operum fragmentorumque et ratio qua quaeque seruata sunt; nec neglegenda sunt tempora diuersa, ne eam quae aetatis differentia est, generis esse putemus.

§ 2.
De dicendi genere et metris.

In omni uera poesi argumentum et rem tractatam cum generis dicendi specie consentire constat. Itaque cum in comoedia cotidianum hominum uulgus personas agere soleat, quin etiam serui non raro protagonistae munere fungantur, etiam sermonem eorum hominum non alienum esse probabile est a lingua uulgari, quam cotidiano usu Romani tum adhibebant[2]); nisi quod iis locis ab hac regula recessum est, quibus aut ad uim comicam augendam aut occasione uere tragica data graue aliquid et grandiloquum

---

[1]) sat. VI 1, 31—34: Furius in primo annali:
Interea Oceani linquens Aurora cubile.
§ 32. F. in sexto: *quod genus hoc hominum, Saturno sancte create?*
§ 33. F. in decimo: *Rumoresque serunt uarios et multa requirunt.*
§ 34. F. in undecimo: *Nomine quemque ciet: dictorum tempus adesse*
Commemorat.
deinde infra: *Confirmat dictis simul atque exsuscitat acris*
Ad bellandum animos reficitque ad proelia mentis.

[2]) Recte Horatius orationem comoediae hunc in modum describit sat. I 4, 45 sqq.: *Idcirco quidam, comoedia necne poema*
Esset, quaesiuere; quod acer spiritus ac uis
Nec uerbis nec rebus inest; nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus.

pronuntiandum est. His enim locis tragicorum tumorem et sermonem affectari consentaneum est.

Cui poesis generi proximam esse satiram cum ex ipsius natura atque indole intellegitur, tum ex Horati uerbis cognoscimus, quibus ipse satirae genus scribendi depingit sat. I 4, 56 sqq.:

His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripies si
Tempora certa modosque et quod prius ordine uerbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis,
Non ut si soluas »Postquam discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit«,
Inuenies etiam disiecti membra poetae.

Neque tamen ubique in hoc uulgari sermone satira uersatur, nonnumquam etiam maiorem elationem et quasi sublimitatem affectat. Nam quod saturae nomen docet, omnia complecti et comprehendere potest.

Ad satiricam poesim praeter illos didacticos quos dixi poetas nonnulla poemata Catulli pertinere et argumenti et sermonis ratione habita constat. Neque tamen ea carmina a ceteris Catullianis segregaui, sed cum ceteris poesi lyricae subiunxi. Cum autem res ipsa me ad Catullum uerterit, iam in uniuersum de poesis lyricae genere dicendi aperiam quid sentiam. Quodsi Catulli quas dicit nugarum rationem habemus, eas quam proxime ad partes illas lusorias et uere lyricas apud Plautum accedere autumabimus. Sane apud utrumque poetam uoces illae dulcissimae et suauissimae occurrunt, quae ad rem amatoriam ualent. Attamen ualde differunt tam ab illis nugis quam a sermone Plautino illa poemata docta, quae in medio libro Catulliano leguntur, in quibus ob argumentum tragicorum magis et epicorum imitatus est sermonem. Neque aliena sunt ab hoc fragmenta Laeui et ceterorum qui in idem tempus cadunt lyricorum.

Sermoni comico contraria est oratio tragica. Nam cum in comoediis uulgus hominum personas agere soleat, hic

dei et heroes et heroides, uirique deorum similes rebusque gestis immortales facti inducuntur. Itaque uix quisquam mirabitur, quod uerba quae hi faciunt non quadrant ad uulgarem comoediae usum. Qui cum in oratione sublimitatem quandam affectent uetustaque priscorum hominum uerba ex tenebris protrahant, dignitatem grauitatem amplitudinem plerumque prae se ferunt, atque adeo saepe pro dignis sufflati, pro amplis tumidi euadunt.

Huic generi proximum esse sermonem epicum illud probare uidetur, quod praestantissimi poetarum tragicorum Ennius et Accius praeter tragoedias etiam epicis carminibus clari fuerunt. Cum enim in epicis quoque carminibus praeclari ac deorum facta adaequantes homines loquantur et res gerant, nec raro ipsi dei loquentes inducantur, sermonem epicum a uulgari comoediae usu alienum esse iure exspectamus. Tamen eis locis ubi sola facta narrantur, non secus atque apud tragicos in nuntiorum relatis, sermo magnificus aliquo modo submittitur.[1]) Neque aliter atque in carmine heroo res se habet in didactico, in quo quamquam nec dei nec heroes inducuntur, tamen doctrinae et praecepta elatiore proferuntur oratione. Quas igitur in tragoediis easdem in epicis carminibus locutiones iure exspectes. Quod quidem cur non ubique fiat, iam intelleges, si metri rationem habueris.

Poetae enim latini praeter antiquissimum illum numerum Saturnium quae adhibebant metra omnia a Graecis petiuerunt. Quantum autem distet Graeca ratio syllabarum breuium et longarum a lingua Latina et quantopere hexameter dactylicus breuibus syllabis abundans refragetur priscae latinitatis grauitati, cum alii docent tum subtilius ex parte quam uerius Koeneus in libro qui inscribitur *die Sprache der römischen Epiker.* Quam ob rem ut compensarent has

---

[1]) Cic. or. 109: *an ego Homero, Ennio, reliquis poetis, et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnumquam etiam ad cotidiani genus sermonis accederent, ipse numquam ab illa acerrima contentione discederem?*

differentias duarum linguarum, qui primi exstiterunt poetae Latini aut priscum illum numerum seruabant, aut iambica et trochaica metra ex Graecia ascita ut accommodarent indoli ac naturae linguae latinae, non paucis horridi illius qui Horatio uidebatur numeri Saturnii licentiis uariabant. Itaque graecanica potius quam graeca appelles metra ab illis adhibita, quae praeter certos quosdam pedes (ueluti ultimum pedem senarii iambici et septenarii trochaici, etc.) liberrime composita sunt. Difficiliora quidem ad construendum erant cetera, quae uetustiore aetate in fabularum canticis usurpata sunt, bacchiaca et cretica et iambica 'syncopata', quae seuerioribus regulis quam dialogorum metra continebantur; difficillima et pessime ex parte constructa anapaestica, quorum tamen et arses et theses pro arbitrio modo contrahunt modo soluunt poetae neque ab conlaqueationum abundantia refugiunt. Attamen cum hi numeri exiguis tantum locis adhibiti sint, non ita magnam uim uersuum necessitas in uniuersa comicorum et tragicorum elocutione exercebat. Contra Ennius, qui primus hexametro dactylico usus est neque in eo construendo ausus est a certis ac seueris Graecorum hexametrorum legibus ad exemplum uersuum iambicorum et trochaicorum deflectere, maximam commutationem et in uerborum structura et uocabulorum usu effecit; tum, ut Naeui uerbis utar, *obliti sunt Romai loquier latina lingua.* Ea enim est numeri dactylici in metro heroo usurpati natura, ut nec thesis umquam in duas syllabas breues dissoluatur, et arsis aut duabus breuibus aut syllaba longa efficiatur.

Tantum autem abest ut Ennius nihil profuerit linguae Romanae hexametro dactylico ascito, ut contra huic maxime debeatur, quod lingua Romana litteris expressa per nonnulla saecula uulgaris et castrensis linguae mutilationibus et corruptionibus non tacta est. Sane quantopere deminutio terminationum et correptio uocalium exeuntium in comoediis et in inscriptionibus uiguerit cum in aperto sit, acre Enni ingenium omnes syllabas tamquam in duos ordines digessit breues et longas discernens. Quamquam multa uerba cum ad hexametrum

dactylicum parum quadrarent, eiusdem Enni opera ex poesi et fortasse ex urbano sermone euanuerunt aliis ex parte substitutis.

Neque eum seueritatis gradum, quem Ennius in pangendis hexametris tenuit, statim adoptarunt ii qui in hoc genere metrorum Enni exemplum secuti se exercebant. Veluti aliquot thesis dissolutae exempla in poesi populari hexametro pacta in inscriptionibus leguntur. Ita in titulo Mummiano CIL 542 u. 4: *cogendei dissoluendei tu ut facilia faxseis.* Atque adeo paene isdem quibus poetae iambici et trochaici licentiis usi sunt, qui sortes Praenestinas, quae iure an iniuria dicuntur, composuerunt.

Ac fortasse ne in poesi quidem proprie dicta huius aetatis deest exemplum solutae thesis: Legimus sane apud Gellium in fragmentis Furianis quae supra notaui in uersu quarto: *Sīcūt fŭlĭcă lĕuīs uŏlĭtāt super aequora classis*; quo tamen in uersu poetam extrusisse *i* litteram uocabuli *fulica* ueri similius est. Cicero pro *fulica* scripsit *fulix* Progn. 183 [numeros Grotianos sequar].

Hexametro idem Ennius primus pentametrum subiunxit, idem uersum Sotadeum asciuit.

His in metris poetae Latini plus sexaginta annos acquieuerunt, quamuis non esset, cur post usurpata metra dactylica exhorrescerent cetera. Artificiosiora primus uidetur temptasse Laeuius, cuius uestigiis Catullus eiusque sectatores ingressi sunt. Sed de his metris hoc loco disserere longum est, praesertim cum quam illa in copiam uerborum uim exercuerint uix cognosci possit. Itaque iam uideamus, quid omnino ualuerint metra ad elocutionem singulorum poesis generum mutandam.

Cum epica poesis usque ad Ennium Saturnio numero, trochaico et iambico plerumque comoediae et tragoediae usae sint, in his generibus, quae parum ualidis metri necessitatibus obstricta erant, omnino rem talibus uerbis expositam deprehendimus, qualia genus ipsum decebant. Sed postquam hexameter dactylicus in usum poesis epicae receptus est, non

iam quae uerba essent aptissima et ad genus dicendi et ad rem ipsam significandam quaerendum erat poetae, sed alia simul quaestio exstitit grauior, quae uocabula in dactylicum metrum quadrarent. Ea igitur quae non quadrabant seponebantur et saepe exilibus quasi artificiis et argutiis pro iusto uerbo minus iustum, tamen dactylicum eligebatur. Quam metri necessitatem quantopere ipsi poetae senserint, docent cum alii[1]) tum Ouidi uersus ep. ex Ponto IV 12, 5:

Lex pedis officio fortunaque nominis obstat
Quaque meos adeas est uia nulla modos.

Quae metri uis ac necessitas praeter epicos cum ad Lucilium tum ad Catullum pertinet, quippe quorum dimidia pars carminum dactylicis metris pacta sit. Cum autem metrorum uis maxime in copia uerborum cognoscatur, singulis locis quae eam ob causam uel mutata uel nouata uideantur, adnotabo; in praesentia ne quae Koeneus exposuit repetere cogar, de tmesi uocabulorum nonnullisque formis epicorum propriis uerba fecisse satis habeo.

§ 3.
De tmesi uocabulorum.

Tmesim quae dicitur non prorsus alienam esse a lingua latina nec primum ab epicis metri causa illatam cum alia docent (ueluti *sub uos placo* illud notissimum) tum linguae comicorum necdum ab epicis infectae exempla. Aliquatenus enim in comoediis quoque aduerbia uel praepositiones distrahuntur a uerbo, ueluti Plautus in trinummo 833 in uersu anapaestico dixit: *distraxissent disque tulissent*; in Curc. 85: *siquid super illi fuerit*; Cas. II 6, 18: *per pol saepe peccas*; Pers. II 2, 28: *quoi pol cumque*; Bacch. 252: *ubi fit cumque mentio*; item Terentius Andr. 63: *cum quibus erat cumque una*; 263: *quae meo cumque animo lubitum est facere.*[2])

[1]) cf. etiam Martial. IX 12, 10. Namat. I 419.

[2]) Comicorum *i prae* non per tmesim dictum esse ostendit Plautinum illud *abi prae.*

Quin etiam in prosa oratione occurrit haec tmesis apud feruidissimos linguae uere Romanae propugnatores, Catonem dico et Varronem. Exempla autem omnia sunt in composito uerbo *faciendi* cum alia stirpe uerbali.[1]) Legimus haec exempla: Cat. r. r. 157, 9: *ferue bene facito*; Varr. r. r. I 9, 2: *perferue ita fit*; II 9, 13 *consue quoque faciunt*; III 4, 1 *excande me fecerunt*. Eodem modo posteriore tempore Lucretius VI 233 [numeros Bernaysianos sequar] *rareque facit* et mutato partium ordine VI 962 *facit are* scripsit. Quod si reputauerimus, nescio an recte concludamus hunc usum olim in lingua uulgari latius patuisse, ab urbana autem repudiatum esse, quae quidem res eo probatur, quod in tragicorum fragmentis eiusmodi tmesis exemplum exstat nullum.[2])

Contra saepissime atque audacissime tmesis perfugio utuntur poetae dactylici, qui cum metrorum necessitate coacti tum Homeri exemplo ducti uulgaris sermonis licentias non exhorrescebant. Attamen in compositis uerbis omnes subsistunt praeter Ennium qui semel eo usque insulsitatis progressus est, ut u. 586 *saxo cere comminuit brum*[3]) scriberet, quibus uerbis cum rem ipsam, caput discissum dico, exprimere et quasi depingere sibi uideretur, infelici lusu uim fecit linguae.

Minus quidem incommodum, tamen audacius quam quod comprobatum sit ab elegantis sermonis scriptoribus, est illud Lucretianum IV 28: *Quoue modo distracta rediret in ordia prima*, ubi uerbum compositum quod est *primordia* in duas partes diuidit poeta, quamquam non exstat *ordium*.

Tertium exemplum tmesis substantiui non cum praepositione compositi legi apud Ciceronem qui in Arateis

[1]) cf. Deecke, facere *und* fieri *in der Verbalcomposition* pag. 35.

[2]) Neque enim in uerbis *se caelo cedens* quae legimus trag. inc. 215 de tmesi cogitandum est, sed prisca illa praepositione *se* (siue *sed*) usus est poeta, quam inde a lege XII tab. habemus in *se(d) fraude*; cf. etiam *se-dulo, se-curus*, etc.

[3]) Nec uereor ne qui funditus de uerborum radicibus quaerunt, me ita refellant, ut *cerebrum* minime esse simplex uerbum, sed ex *cere* et radice *bhar*, quam in uerbo *ferendi* habemus, compositum contendant.

u. 28 scripsit (quam tmesim etiam poetae Augusti aequales probauerunt): *quas nostri Septem soliti uocitare Triones* non tanta quanta Ennius et Lucretius usus audacia. Sed ad Ennium reuertar: praeter id quod attuli exemplum in iis uerbis apud eum tmesis occurrit, in quibus praepositio inest, quas quidem praepositiones antiquissimo tempore aduerbiorum loco fuisse neque omnino aduerbia esse desiisse constat; ita u. 373 *de me hortatur* et u. 487 *deque totondit.*[1])

Saepius haec licentia obuiam fit in satiris Lucilianis [2]) hexametro pactis, qui poeta distrahit etiam substantiua: *contubernalem* 30, 90 in *conque tubernalem* et *depetigo* 30, 88 in *deque petigo*; praeterea 30, 59 *deque dicata.*

Latissime autem patet ille usus apud Lucretium, qui tamen praeter uerba non distrahit uocabula excepto eo quod dixi *primordia.* Sed ne longus sim, pauca[3]) seligam: non tantum particulam *que* interponit poeta e. g. *inque pediri* III 482, sed etiam aliud uerbum et pronomen e. g. IV 225 *inter datur ulla fluendi* (ubi tamen Bernaysius *interdatur* iungit) aut substantiuum *inter plaga currere posset* V 1372.

Hic tmesis usus solis poetis dactylicis familiaris est, nec nisi ob uersuum pangendorum difficultatem admissus.

§ 4.

De praepositione *endo* nonnullisque formis Enni propriis.

Non secus ac tmesis uetustissimae illae praepositionis *in* formae *endo* uel *indo* uel *indu* quae in lege XII tabula-

---

[1]) Luc. Mueller *et detondit* scribendum esse contendit in libro d. r. m. pag. 368. — Tmesim nominis *Massili— —tanos*, quam Ennio obtrudunt nonnulli, suo iure Mueller ludibrii caussa fictam esse censet.

[2]) Crebro Lucilium tmesi usum esse testis est Consentius 390 K.

[3]) Omnia exempla congesta leguntur in Hallieri libello qui inscribitur *Lucreti carmina e fragmentis Empedoclis adumbrata* pag. 12.

rum occurrunt, propter metri uim a solis poetis dactylicis adoptatae sunt. In usu cotidiano manserunt hae praepositiones in nonnullis formis compositis, quarum uerba natiua a uocali incipiunt: uelut *induere, indigere, indipisci,* similibus. Apud comicos et tragicos forma *endo* uel *indu* nusquam praepositionis uices agit, neque composita praeter ea quae ab omnibus usurpabantur ibi occurrunt: nec probabiliter Ribbeckius coroll. XII in corrupto Naeui tragoediarum uersu 30 formam *indolicite* tragico obtrusit; sane illa quidem Plautino quod affert uerbo *indaudire* non satis excusatur. Lucilius solus ausus est praeter epicos iis uti: 17, 10 ex XII tab. *endo Ferte manum*; *endo muco* 30, 48; *indu locis* 30, 7; *indu foro* inc. 17: primo loco aduerbialiter usurpatum est, ceteris cum ablatiuo coniunctum. Sed cum in solis uersibus hexametris occurrat, ut metrum ita formam Enni imitatum esse Lucilium elucet.

Epicorum exempla sunt haec: *endo suam do* E[a] 563; *endo plagas* E epigr. 9 (bis cum accusatiuo coniunctum); *endo mari* Lr VI 890. Forma *indu* obuiam fit: E[a] 243. 425; Lr II 1096 cum ablatiuo, V 102 cum accusatiuo constructa. In CIL uol. I nullum exemplum legitur; occurrit autem in illa quam post Dresselium in Instituti archaeologici annali 1880 pag. 158 Buechelerus in Museo Rhenano XXXVI 235 sqq., Iordanus in Herma Berolinensi XVI 225 sqq. tractauerunt inscriptione uetustissima *ted endo.*

In uocabulis compositis leguntur hae formae praecipue apud Lucretium. Enniana sunt haec: *induperator* 86. 332. 350. 552; Lr IV 964; V 1225; *induperantum* E[a] 413; *indo tuetur* 73; *induuolans* 397. Lucretiana haec: *indugredi* I 82; IV 316; *indupedita* I 240; II 102. 459; V 873; VI 453. 1008; *indupediri* IV 68.

Poetae dactylici quibus multa uerba praepositionibus composita prorsus omittenda erant, ut tmesim ita hanc de qua dicimus formam pro praepositione *in-* amplexi sunt. In omnibus autem compositis praeter tmesim tamquam perfugio utuntur uerbis iteratiuis, quorum permagnam copiam ab iis nouatam esse in cap. V docebimus; ita

Lr II 1017 *discrepitant*, III 801 *discrepitans*; contra *dīscrĕpăt* I 582.

Iam addamus nonnullas Enni formas singulares: qui poeta quantopere studuerit uel eas quae rarius apud Homerum occurrunt formas clausulae hexametorum imitari, ex multis illis uersibus intellegitur, qui in uocabulo monosyllabo finem habent, cuius generis 43 sunt inter 600, ac ne ad insulsitatem quidem descendere legesue linguae latinae laedere ueritus est. Quam ad rem temptandam utrum praecepto nescio cuius uetustiorum grammaticorum graecorum nunc deperdito sit adductus, an ipsius Aristotelis in libro περὶ ποιητικῆς cap. 21, 18 [1]) uerbis, uix diiudicabitur. Ex exemplis graecis quae ab Aristotele et Strabone afferuntur, ad Enniana quadrant cum Homericum δῶ, tum Empedocleum et Antimachium ὄψ atque Euphorionis ἧλ, quae omnia in sola clausula hexametrorum occurrunt; δῶ apud Homerum uiciens quinquiens, numquam autem κρῖ in clausula legitur. Ortas autem esse has formas mutilatione pleniorum putabant grammatici graeci, nam ἀφῃρημένον Aristoteles, per ἀποκοπήν ceteri docent. Quorum puto auctoritate nisus Ennius etiam latinas formas terminatione priuabat easque praecipuo amore in clausulis ponebat. Quin etiam u. 563 ipsam formam Homericam δῶ recepit, nisi forte ita est *do* intellegenda, ut sit ex *domum* mutilata. Idem prorsus ad analogiam Euphorionei ἧλ has finxit clausulas: u. 561 *altisonum cael* atque etiam audacius u. 451 *lacti-*

---

[1]) ἐπεκτεταμένον δ' ἐστὶν ἢ ἀφῃρημένον τὸ μὲν ἐὰν φωνήεντι μακροτέρῳ κεχρημένον ᾖ τοῦ οἰκείου ἢ συλλαβῇ ἐμβεβλημένῃ, τὸ δὲ ἂν ἀφῃρημένον τι ᾖ αὐτοῦ, ἐπεκτεταμένον μὲν -----, ἀφῃρημένον δὲ οἷον τὸ κρῖ καὶ τὸ δῶ καὶ μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ. cf. Strabo VIII 5, 3 Kr: κατὰ ἀποκοπὴν ---- παραδείγμασι -- χρῶνται τοῦ μὲν ποιητοῦ τῷ κρῖ καὶ δῶ καὶ μάψ ---- παρ' Ἐμπεδοκλεῖ δέ· μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ, ἡ ὄψις, καὶ παρ' Ἀντιμάχῳ· Δήμητρός τοι Ἐλευσινίης ἱερὴ ὄψ· καὶ τὸ ἄλφιτον ἄλφι. Εὐφορίων δὲ καὶ τὸν ἧλον λέγει ἧλ [οἷον δαιμόνιος ἧλ addit Eust. ad. Il. Ξ 266]. παρὰ Φιλήτᾳ δέ· δμωίδες εἰς ταλάρους λευκὸν ἄγουσιν ἔρι, [τὸ ἔριον]. εἰς ἄνεμον δὲ τὰ πηδά, τὰ πηδάλια Ἄρατός φησι. Similia apud lexicographos leguntur; cf. Lobeck paral. 115 sq.

ficum gau. Deinde fortasse ob clausulam in uocabulum monosyllabum exeuntem idem exempla nominatiui *frux* 412 *data sit frux,* 318 *facit frux* scripsit.

Apud ceteros poetas dactylicos tales imparilitates frustra quaeras, praeterquam quod Lucilius audacter in clausula aduerbialem *nox* formam cum ablatiuo *mediā* coniunxit III 22; quamquam *nox* forma ex genetiuo *noctis* orta uidetur esse. Minus audacter Ennius 412 eadem forma utitur: *si luci, si nox, si mox, si iam data sit frux*; eadem occurrit in XII tab: *si nox furtum faxsit, si im occisit, iure caesus esto.*

Praeterea exstat forma singularis in clausula u. 141 *homōnem*, quam formam olim fuisse usitatam grammatici ueteres testantur, qui tamen hoc unum Enni exemplum exhibent.[1])

Cetera quae metri caussa nouata leguntur, ad copiam uerborum relegauimus.

§ 5.
De copia uerborum.

Quoniam generaliter de reliquiis poesis Romanae omniumque generum indole metrorumque ui disseruimus, iam singula de copia uerborum examinemus. Eae commentationes, quae de singulorum generum uel scriptorum lingua ac sermone publici iuris factae sunt, pleraeque omnes ea re laborare mihi uidentur, quod ex singulis scriptoribus priscis illa maxime uocabula respexerunt, quae singularia sunt uel quae apud paucos leguntur, contra neglexerunt ea, quae cum primum apud hunc uel illum scriptorem occurrant, postea multis aliis uel prosae orationis uel poeticae scriptoribus probata sunt. Neque enim eo potissimum

[1]) quare uix sunt probandae coniecturae eorum, qui etiam comicis formas obtrudunt quales sunt *homōnis, homōnibus* cf. C. F. W. Mueller, *Plautin. Prosodie* pag. 502 adn. 1; *Nachträge* pag. 80 sq. — de uariis huius uocis formis disputauit Corssen, *Ausspr.* II 259.

conspicitur indolesscriptoris, quod nonnulla apud eum leguntur peculiaria, sed multo magis eo quod primus hanc uel illam uiam ingressus subsequentibus quae imitarentur exemplaria proposuit. Quamquam ut in uocabulis singularibus, ita in iis quae primi usurpasse uidentur singuli poetae, multum casui tribuendum esse fateor.

Equidem ut quam secutus sim rationem breuiter aperiam, comicorum sermonem, quem ab usu cotidiano Romanorum non longe afuisse constat, pro fundamento posui; quocum comparaui linguam tragicorum, et omnia uocabula quae apud comicos non occurrunt, a tragicis inducta in poesim latinam statui; quamquam multis uocabulis fortasse non caruerunt comici e. g. multis illis quae terminos technicos barbare dicere solemus, nec propterea quod apud tragicos primum leguntur, tragicorum illa propria sunt; attamen ne haec quidem supprimere malui. Contra non omnia sunt tragoediae solius, quae a tragicis inuenta uel introducta sunt, sed multa ab epicis et lyricis assumpta et ascita in poesi Romana omnibus temporibus floruerunt, multa uel in prosam orationem transierunt. Propterea ad singulas uoces adnotaui, ubi easdem apud epicos, satiricos, lyricos deprehendi. Praeterea cum tragicorum lingua linguam epicorum composui, atque quae utrique communia sed a comicis discrepantia habebant, ibi adnotaui, ubi de tragicis agendum erat; cetera epicorum uocabula cum comicorum copia contuli, itaque quae restabant ab epicis in poesim inducta esse statui.

Eodem modo satiricorum et lyricorum uocabula cum epicorum, tragicorum, comicorum copia uerborum comparaui atque id me effecisse putauerim, ut quae a quoque genere poetico nouata in poesim latinam inducta essent quatenus fieri potuit indagarem. Lucili autem, quippe qui ante Ciceronem et Lucretium epicos floruerit, non ea tantum uocabula esse iudicaui, quae apud epicos omnino non occurrunt; sed quae ipse cum Cicerone posterioribusque epicis communia habet, satirae esse statui; eodemque modo tragicis ea uindicaui, quae simul apud recentiores comicos leguntur, addito tamen loco comicorum. Neglexi autem in praesentia uoca-

bula graeca, quae in quoque genere leguntur, cum praecipue ipsius latinae linguae incrementa perquirere mihi proposuerim. Nec magis ea uocabula latina hic legentur, quorum sola forma discrepat a uulgari comicorum usu, ut *ossuum* genetiuus pluralis pro *ossum* Pa 103, quocum conferas formam *alituum* a Lucretio metri causa nouatam et a poetis epicis adoptatam, et similia. Haec enim omnia non tam ad copiam uerborum quam ad doctrinam formarum pertinent. Comicorum denique uocabula quae eodem quo cetera modo congesta et disposita habeo, non nominatim afferam nisi iis quibus ex re esse mihi uidebitur locis; nonnumquam cum ad alias commentationes tum ad Lorenzi Pseudoli Plautinae editionem reuocasse satis habebo, cuius in praefatione uir ille doctus de indole sermonis Plautini ceterorumque comicorum copiose disseruit.

Vbicumque fieri poterit, uncis angularibus [ ] inclusas illas addam locutiones, quae pro ceterorum generum nouatis uocabulis apud comicos occurrunt; aut si ipsum quidem uocabulum apud comicos non legitur, sed deriuatum ab eadem radice, hoc adiciam; ea uero uerba quae uncis rotundis ( ) inclusa sunt, circumscribunt eam uocem, cui addita sunt. Denique numeros uersuum non semper afferam, cum facili negotio ex indicibus uerborum depromi possint.

Praeterea non alienum esse ab huius commentationis consilio putaui singulis locis ex Pauckeri de latinitate scriptorum historiae Augustae libro numeros exemplorum afferre, quae initio quarti p. Chr. saeculi in usu erant atque etiam alias data occasione ad hunc librum (Paucker HA) et ad eiusdem addenda lexicis latinis (Paucker Add.) relegare.

Totam copiam ita disponam, ut enumerem I substantiua simplicia, II adiectiua simplicia, III substantiua et adiectiua composita, IV substantiua et adiectiua deminutiua, V uerba simplicia, VI uerba composita, VII aduerbia.

Caput I.
Substantiua simplicia.[1])
§ 6.
A. Substantiua deriuata.

exeuntia 1) in **-tudo:**

a) in tragoediarum fragmentis nouata: *acritudo* A [acer] | *anxitudo* animi Pa A bis [animum aduentus angit Caec. 35] | *castitudo* A [pudicitia] || *desertitudo* Pa [solae terrae] || *geminitudo* Pa (differentia inter geminos) || *gracilitudo* A [gracilis] *honestitudo* A bis [dignitas T] || *laetitudo* A bis [laetitia] *miseritudo* A 185 [miseria]; 79. 187 [misericordia] || *mollitudo* Pa bis [mollitia T] || *noxitudo* A [noxia] || *paenitudo* Pa [paenitet] || fandi *prolixitudo* Pa [longinqua oratio P; longus sermo Titin.] || *similitudo* Pa [similitas Caec.] || *squalitudo* A [squalor P] || *taetritudo*[2]) A [turpitudo P] || *temeritudo* Pa [temeritas P Afran.] || *uastitudo* 1) A 615 [magnus, uastus]: 2) Pa 314. A 374. 455 et Cat. r. r. 141, 2 in uetere carmine [uastities P] || || *lenitudo* Pa; Turpil. [lenitas T] | *orbitudo* Pa A; Turpil. [orbitas P] || *sanctitudo* A bis: Turpil. Afran. [sanctus].

b) apud epicos et d) apud lyricos nullum occurrit nouatum.

c) satirica: *multitudo* L [multus; copia] || *perperitudo* A pragmat. [temeritas].

Duo in **-edo** addere liceat: *dulcedo* Lr quinquiens, Laeu. semel [dulcitas Caec. 217 et A, quod dactylis accommodari nequit]; *dulcedo* substantiuum aureae aetatis scriptoribus probatum est || *cuppedo* pro *cupido* Lr quinquiens; apud Apuleium idem uocabulum pro *cuppediae* occurrit. De substantiuis in *-edo* cf. Paucker Add. adn. 63.

---

[1]) inter simplicia etiam ea numeraui, quae ab alio uerbo composito sunt deriuata. Substantiua Plautina diligenter congesta sunt ab Hermanno Rassow, de Plauti substantiuis 1881.

[2]) *taeter* trag. quinquiens; E[a] bis; C et Lr saepe; L ter; P et Afran. semel.

2) in **-tas:**

a) tragica: *acritas* A [acer] || *angustitas* A bis [angustum T] || *atrocitas* A [saeuitudo P fr.; saeuitia T] || *concorditas* Pa [-dia] || *crudelitas* A [saeuitia]; adiectiuum *crudelis* neque apud comicos neque apud tragicos legitur, primum occurrit E[a] 142. 482 || *desertitas* Pa [solitudo com. et trag.] || *discorditas* Pa [-dia com. et trag.] || *famulitas* Pa A [seruitus] (*famultas* Laeu. 6) || *fertilitas* inc. (multi liberi) || *grandaeuitas* Pa A bis [senectus] || *humilitas* A [infra infimos homines T] || *magnitas* A [magnificentia]; cf. Lr *maximitas*; *magnitudo* quod in prosa oratione minime rarum est, apud huius aeui poetas non occurrit || *maiestas* Li A; Afran.; Lr [dignitas] || *nitiditas* A [nitor] || *segnitas* A bis [-ties] || *societas* E [socius, sodalitas] || *solitas* A [-tudo] || *squalitas* A; L ut carperet Accium [squalor] || *stupiditas* A [stultitia] || *timiditas* Pa [timidus] || *tristitas* Pa; Turpil. [tristitia T] || *uarietas* Pa [cf. P truc. II 1, 9 uaria uita] || *uastitas* A [uastities] || *ubertas* inc. [copia] || *uicissitas* A [-tudo T] || *unanimitas* Pa [concordia] (cf. Liu. 40, 8, 14).

b) epica: *asperitas* Lr [asper] || *breuitas* Lr [breuis] || *differitas* Lr IV 634; Arnob. [interesse]; Briegerus Lucreti uersum spurium putat in philol. Gott. 33 pag. 432 || *grauitas* Lr ter; L A pragm. 2 [pondus; dignitas] || *inutilitas* Lr [inutilis] || *maximitas* Lr; Arnob. (cf. māgnĭtās et māgnĭtūdo; similiter Ouidius nouauit *proximitas*) || *mobilitas* Lr saepe [mobilis] || *nouitas* Lr saepe [insolentia Turpil.; A] || *pestilitas*[1]) Lr ter; Arnob. [pestis]; *pēstĭlēntia* et adiectiuum *pestilens* primum apud Ciceronem et C occurrunt || *simplicitas* Lr saepe [simplex].

Adicere liceat ad haec substantiua in **-tas** unum in **-as**, *satias*, cuius etsi casus rectus minime primum apud

---

[1]) ***pēstĭlĭtas*** uocem prorsus contra leges prosodiae fictam esse contenderim. Nam adiectiuum ***pestilis*** quo Arnobius primus usus est mea quidem sententia fictum ex Lucreti *pestilitas*, siquidem analogiam ceterorum adiectiuorum in *-īlis* a substantiuis deriuatorum sequi debet, ***pestīlis*** (cf. Paucker HA pg. 34* adn. 1, 19) pronuntiandum est; cf. ***aedes aedīlis, hostis hostīlis*** similia.

epicos obuiam fit, casus obliqui ab iis primis sunt usurpati. Nam cum uerbum *satietas*, cuius et casum rectum et casus obliquos adhibuerunt comici, dactylis accommodari nequiret, ad uocem *satias* confugerent epici eique etiam casus obliquos obtruderent oportuit. Apud posteriores scriptores praeter *satias* et *satietas* inde a Plinio VIII 209 tertium occurrit *saties, -ei,* quod in dactylico metro primum occurrit apud Iuuencum et CIL VIII 1523 b 9. De formatione nominis *satias* cf. Paucker Add. adn. 32.

c) satirica: *ignobilitas* L [ignobilis] || *prodigitas* L 6, 4 *ἅπ. λεγ.* [luxuria] || — *ductabilitas* A pragm. inc. 4 [facilitas] || *ponderitas*[1]) A [pondus].

d) lyrica: *uiduertas* in uetere carmine Cato r. r. 141 [uiduitas] || *anilitas* *ἅπ. λεγ.* C [senectus] || *uirginitas* C bis [integer; pudicitia] || *cuppiditas* Laeu. [cŭpiditas].

3) in **-monia:** unum exstat tragicum: *acrimonia* N A [seueritudo]; praeterea *alimonium Romuli et Remi* praetextam Naeuianam inscriptam fuisse docet Donatus ad T Adelph. IV 1, 21; idem uocabulum redit V s. M. 260 B. Multa autem substantiua in hanc terminationem exeunt apud comicos: Plautina sunt: *aegrimonia* (aegror trag.), *falsimonia* (falsa trag.), *matrimonium* P T (coniugium A), *mercimonium* P Turpil., *parsimonia* P T, *querimonia* (querella trag.), *testimonium* P T (testis A), *uadimonium* P Nouius. — Quattuor adiecit Laberius: *mendicimonium, miserimonium* (miseritudo trag.), *moechimonium, patrimonium*: unum Nouius: *tristimonia*.

4) in **-ntia:**

a) tragica: *blandiloquentia* E [-quus, -quentulus] || *errantia* A [error] || *fauentiam* adhibere A [fauete linguis N] || *prudentia*[2]) inc. [sapientia] (cf. V s. M. 140 B *pru-*

[1]) similiter de substantiuo deriuatum est Laberi *lubidinitas*; cf. eiusdem *adulteritas*.

[2]) *prudens* semel apud P capt. prol. 45; T eun. 27; trag. inc. 145; E^{a} 216; Lr III 762.

ditas) ‖ *superbiloquentia* inc. [superbia] ‖ *ualentia* N; Titin. [uis].

b) epica: *desipientia* Lr [stultitia] ‖ *ignorantia* Lr [inscitia] ‖ *repetentia* Lr III 849; Arnob. (Lachmannus et Bernaysius apud Lr *retinentiam* scribunt: sed ipse Arnobius codicum lectionem comprobare uidetur, qui ut *pestilitas, pellacia,* multa alia, ita *repetentia* ex Lucretio deprompsit) ‖ *retinentia* Lr III 673 ‖ *uariantia* Lr bis [uarius] (*uarietas*, quod tragici formarunt, dactylico metro accommodari non potuit).

c) satiricum nullum exstat.

d) lyrica: *pestilentia* C [pestis] ‖ *dolentia* Laeu. [dolor].

5) in **-ia** et **-ies:**

a) tragica: *ignominia* inc. [dedecus; infamia] ‖ *macies* inc.; Lr bis ‖ *peruicacia* E A [pertinacia T] ‖ *sanies* E Pa ‖ *tardities* A [-tudo P A] ‖ *tenacia* E [obstinatus] ‖ *diuidia* significat 1) idem atque discordia [hoc com.] apud solum Accium 587; 2) idem atque taedium apud P quater, semel apud Accium.

b) epica: *excubiae* E[a] (P Cas. prol. 54 = concubitus extra domum) ‖ *inferiae* Lr; C ‖ *pellacia* Lr bis: Arnob. [fallacia].

diluuies Lr ‖ *glacies* Lr ‖ *planities* Lr [planum; P ter campus] ‖ *proluuies* Lr [-ium T].

c) satirica: *incuria* L; Lr [neglegentia].

eluuies L [eluere] ‖ *imbalnities* et *imperfundies* L [cf. T eun. 936 illuuies, sordes] ‖ *prosecia* L 14, 12 ‖ *scabies* L ‖ *suberies* (i. e. suber) Lachmannus 1186 ex Isidoro et Festo uindicauit Lucilio.

d) lyrica: *amarities* C [acerbum e. g. T hec. 281] ‖ *canities* C [canus; canitudo P fr.] ‖ *durities* C [-ia] ‖ *effigies* C [-ia P Afran.; L] ‖ *inficetiae* *ἅπ. λεγ.* C 36, 19 [insulsus].

6) masculina in **-o** et **-io:**[1])

a) tragicum: *quinquertio* Li 41.

b) epicum: *pumilio* Lr [nanus Laber.].

---

[1]) De substantiuorum in *-o* usu apud posteriores cf. Pauckeri HA 15* adn. et Add. adn. 75.

c) satirica: *subulo* uox Tusca significat apud E[s] *tibicinem*; apud Plin. *ceruorum* genus || *catillo* ἅπ. λεγ. L [catillare P] || *combibo* L; Cic. ad. fam. [compotrix T; potator P] || *comedo* L V s. M. [edax P] || *maco* uel *mango* L bis || *mando* L ἅπ. λεγ. [manduco Pompon.] || *mirio* A didasc. [monstrum hominis] || *pullipremo* L inc. 162 ἅπ. λεγ. || *strabo* L [limus] || *uaro* L.

7) in **-go:**

a) tragicum: *lanugo* Pa A; Lr bis.

b) epicum: *origo* Lr saepe; C [principium].

c) satirica: *depetigo* L; Cato || *porrigo* L || *uitiligo* L.

d) lyricum: *ferrugo* C [-gineus P].

8) in **-tio** et **-sio:**

a) tragica: *adgnatio* A 580 coniecit Ribbeck || *ariolatio* E [ariolus, -a] || *commutatio* A [mutatio] || *cunctatio* A [mora] || *domuitio* saepe L [reditio; itio T] || *gressio* Pa [gradus] || *incursio* A [impetus] || *profectio* Pa [iter] || *statio* inc.[1]); Lr quinquiens; V Atac.

b) epica: *satio* Lr || *insitio* Lr.

c) satirica: *deletio* L [delere T]; hunc uersum Ribbeckius tragicorum alicui uindicat inc. 253 || *inscriptio* E[s] [litterae P rud. 1157].

d) lyrica: *aestimatio* C 12, 12 || *allocutio* 38, 5. 7 [alloqui] || *ambulatio* 55, 6 de loco dictum [ambulacrum et porticus P most. 756 R] || *approbatio* 45, 9. 18 [assentatio] || *argutatio* 6, 11 ἅπ. λεγ. [crepitus] || *basiatio* 7, 1 [sauiatio] || *cogitatio* 35, 5 [cogitatum] || *esuritio* 21, 1; 23, 14 [ieiunitas] || *fututio* 32, 8 [concubitus] || *inambulatio* 6, 11 [inambulare] || *irrumatio* 21, 8 || *locutio* 61, 120 [uerbum] || *osculatio* 48, 6 [osculari; sauiatio] || *uocatio* 47, 7 [uocare essum P Men. 458].

---

1) equidem hoc fragmentum (trag. fr. inc. 259: *In arce Athenis statio mea nunc mihi placet*) comicis quam tragicis tribuere maluerim.

9) in **-io:**

a) tragica: *contagio* E; P Amph. prol. 31 || *internecio* A bis; L [excidio].

b) epica non occurrunt nouata.

c) satiricum: *consortio* L [cf. socius].

d) lyricum: *obliuio* litterarum Bibac. [obliuisci].

10) in **-tor** (**-sor**) et **-trix:**

a) tragica: *altrix* Pa; Laeu.; Cic. [nutrix] || *delitor* A || *genetrix* Santra; E[a] Lr; Laeu. C [mater] || *genitor* A ter; Lr Cic.; C [pater] || *hortatrix* Pa [suasor] || *manticulator* Pa [sector zonarius P; bonorum extortor T] || *moderator* N; Lr bis [-trix] || *progenitor* A [pater] || *sator* deorum Pa (P sator scelerum) [pater deorum] || *uitisator* A || *uindemitor* N || *ultor* A [uindex].

b) epica: *ministrator* N[p] [minister] || spiritus austri *imbricitor* E[a] [imbricus auster P] || *arator* Lr || *creatrix* Lr [mater] || *exesor* Lr bis [cf. strigibus quae exedint P Pseud. 821] || *fabricator* Lr [auctor] || *repertor* Lr [inuentor T] || *missor* (sagittarius) Cic. Arat. 325 ἅπ. λεγ.

c) satirica: *acceptor* L ἅπ. λεγ. [accipiter] || *bouinator* L ἅπ. λεγ. [cf. aliquam reperitis rimam P Curc. 510] || *censor* L || *confector* L [perfector T] || *exactor* L || *fulgoritor* L || *glutinator* L; Cic. ad Att. || *lector* L; C || *mensor* L [metior] || *pistrix* L [pistor] || *rogator* L || *scriptor* L; Lr bis [scriba; cf. quiscribunt T heaut. 43] || *sectator* L [comes] || *succussator* L || *succussor* L || *uector* L.

d) lyrica: *coniugator* C ἅπ. λεγ. || *decoctor* C [cf. is rem perdidit P trin. 13] || *fossor* C [agrestis, rusticus] || *irrumator* C ἅπ. λεγ. || *litterator* C [cf. potuisset fieri ut probe litteras sciret P Pers. II 1, 6] || *petitor* C || *rector* C [gubernator P] || *uiator* C [aduena] || *ustor* C || *carptor* Laeu. [uellicare] || *paedicator* Caluus ἅπ. λεγ.

11) in **-es:**

a) tragica: *compages* Pa [coagmentum P] || *proles* inc.; Lr; cf. Quint. 8, 3, 24 [gnatus, filius] || *propages* Pa; Auson.

[filius] || *saepes* bis; Cic. [fundus saeptus] || *scabres* Pa; Vs. M. || *sedes* saepe; Lr; C [domus; fanum] || *squales* ex coniectura Pa [squalor] || *tabes* Pa; Lr [tabesco].

b) epicum: *contages* Lr quater [contagio P Amph. prol.; trag.].

12) abstracta in **-or:**

a) tragica: *aegror* Pa A; Lr; cf. tamen Ribbecki coroll. trag. XLIV sq. [aegrimonia, -tudo] || *aequor* ter; E^a ter; Cic. Lr saepe; C [campus, mare] || *ardor* A ter; Lr; C; Laber. semel [calor] || *fremor* inc. [fremitus P Amph.] || *furor* inc.; Lr; C [rabies] || *macor* Pa || *nigror* Pa; L; Lr [atritas] || *stridor* Pa A; L; Cic. [crepitus].

b) epica: *uagor* E^a Lr [cf. uox pueri uagientis T hec. 517] || *amaror* Lr ter, semel Verg. georg. || *angor* Lr bis [angit animum] || *canor* Lr [cantus] || *decor* Lr; Laber. 120 [decus] || *fauor* Lr [gratia] || *feruor* Lr [calor] || *fragor* Lr [strepitus] || *fulgor* Lr [splendor] || *lēuor* Lr quater [politus, planus] || *luror* Lr [pallor] || *nidor* Lr quater (P most. 5 Ritschelius coniecit *nidoricape*) [odor] || *paedor* Lr [squalor] || *plangor* Lr; C [lamentatio] || *putor* Lr ter [foetere] || *sapor* Lr [gustus] || *sonor* Lr [sonitus] || *stringor* aquae gelidae Lr 3, 687 ἅπ. λεγ. || *tenor* Lr [ordo].

c) satirica: *limpor*[1]) L [aqua] || *pigror* L [pigritia] || *rigor* L; Lr [duritia; frigus] || *torpor* L bis; C [languor].

d) lyricum *tepor* C 46, 1 [calor].

13) in **-ura:**

a) ab tragicis nouatum exstat nullum.

b) epica: *circumcaesura* Lr bis; Arnob. || *compositura* Lr [coagmentum] (*conpostura* Cato r. r. 22, 3) || *cultura* Lr [cultus] || *dispositura* Lr bis [status] || *flexura* Lr || *formatura*

---

[1]) L. Muellerum hanc formam suo iure in contextum recepisse putauerim; nam collato uocabulo *limpidus* conicere licet olim exstitisse uerbum *limpēre*, de quo et *limpor* et *limpidus* descendunt.

Lr bis [forma] || *iunctura* Lr [coagmentum] || *mixtura* Lr bis [miscere] || *positura* Lr [status] || *sepultura* Lr [sepulcrum, exsequiae].

c) satirica: *commissura* L || *strictura* L.

14) in **-men** et **-mentum:**

a) tragica: *flamen* A; L; Lr bis, C 64 quater, Cic. quater [spiritus] || *flumen* A; E^a; L; C [amnis] || *fulmen* ter; E^a Lr || *momen* E ex coniectura; E^a Lr [impulsus] || *regimen* E, inc.; Cic. [imperium] || *sagmen* inc.; N^p || *stabilimen* A [-mentum P] || *terimen* A [terminus] || Tria in **-menta** adicere liceat: *armenta* Pa (-tum Lr) || *caementa* E [lapis] || *lamenta* Pa [-tatio].

b) epica: *acumen* E^a Lr Cic. [acies] || *agmen* E^a 465 [exercitus]; cf. T eun. 773; (= fluentum) E^a 177 Lr || *augmen* E^a Lr saepe [augere] || *carmen* E^a Lr [cantus] || *momen* (cf. trag.) E^a Lr saepe [impetus; momentum T] || *peniculamentum* E^a 363; Caecil.; L [syrma] || *propagmen* E^a [prolatio] || *spiramen* E^a [spiritus].

adaugmen Lr || *armentum* Lr [boues] || *bitumen* Lr || *clinamen* Lr (Cic. fin. I 6. 19 *declinatio,* ad eandem rem significandam) || *cacumen* Lr; Laber. || *conamen* Lr ter [conatus T] || *documen* Lr ἅπ. λεγ. (Ter. Maur. docimen) [documentum] || *duramen* Lr [duritia] (Colum. pro uite obdurata) || *elementum* Lr saepe || *formamentum* Lr [forma] || *fragmen* Lr [assula] || *frustramen* Lr [frustratio] || *glomeramen* Lr saepe [globus] || *gramen* Lr [herba] || *lateramen* Lr [latus] || *molimen* Lr [conatus] || *tegmen* Lr Cic.; Laeu. C [integumentum] || *uermina* (plur.) Lr || *uexamen* Lr [quassare] || *uocamen* Lr; Arnob. Solin. [nomen].

culmen Cic. [apud comicos semper *columen* forma legitur; cf. Brix ad P trin. 85].

c) satirica: *discrimen* L; Lr ter [interuallum P] || *fomentum* L [cf. quo lenirent miseriam T heaut. 127] || *fragmentum* L [offa] || *pauimentum* L || *munimentum* E^s [praesidium]. In **-menta:** *fulmenta* L; Cato r. r.; apud P altiorem calceorum partem significat trin. 720.

d) lyricum: *leuamen* C 68, 61 [leuare] || *omentum* C [sebum].

15) in **-tus** et **-sus**:

a) tragica: *aestus* N Pa ter, A; P ter; epici saepissime; C [1) calor; 2) fluctus] || *attrectatus* Pa [tactio] || *coetus* E; Lr; C; P Amph. 657 *primo coetu* idem significat ac primo impetu [conuentus, contio] || solis *exortus* Pa bis; Laber.; Cornif. [luna exorta est P Amph. 274] || *fletus* Pa bis, A; E epigr., C [flere] || *flexus* Pomponius Secundus; Lr; C 64, 114 || *flictus* Pa; Verg. [confligere] || *fremitus* quinquiens; P Amph. semel; E^a^ Lr; C 63, 82 || *gressus* A; Lr [gradus] || *incultus*[1]) Pa || *inflexus* N [facite inflexa sit pernicitas P] || *lapsus* Li; Afran. semel; Lr [labi] || *latratus*? A 569; fortasse praeferenda Scaligeri coniectura *latrans* || *morsus* A [mordere] || *nisus* Pa A; Lr [niti] || *obtutus* Pa [aspectus] || solis *occasus* Pa [P uetustam locutionem *sol occasus,* quam XII tab. praebent, seruauit] | *obitus* A; Lr || *pulsus* E; Laber. || *planctus* Scaeuus [lamentatio] || *rogitatus* inc. [rogitatio] || *spectus* Pa [uultus] || *succussus* Pa || *traiectus* A || *transmissus* Pa [transmittere].

b) epica: *occasus* E^a^ ter [= occasio]. — *adactus* Lr [admouere] || *adauctus* Lr [adaugere] || *adhaesus* Lr [adhaerere] || *adiectus* Lr [adicere] || *anfractus* Lr (A anfracta, -orum) || *amictus caeli* pro aëre Lr; aliter ter C 64; Publil. || *auctus* Lr saepius [augere] || *auxiliatus* Lr [auxilium] || *coactus* Lr bis [necessitas] || *coitus* Lr [T coitio] || *commutatus* Lr [mutatio] || *conciliatus* Lr quater [conciliare] || *coniectus* Lr saepius [significat 1) actum *iaciendi*; 2) *aceruum*] || *concussus* Lr bis [T concutere] || *conlectus* Lr [conligere] || *contactus* Lr [tactio] || *contemptus* Lr ter [contemnere] || *coortus* Lr bis [orior] || *decursus* Lr; C 65, 23 || *defectus* solis Lr || *despectus* Lr [prospectus] || *disiectus* Lr *ἅπ. λεγ.* [disicere] || *eiectus* Lr [eicere] || *emissus* Lr [emittere] || *flatus* Lr Cic. bis; C 64, 270; 26, 2 [spiritus] || *halitus* Lr; Cic. poet. [anhelitus] ||

[1]) Ribbeck dubitanter proposuit eodem quo *neglegentia* sensu; cf. Sall. Cat. 55, 4 et Liu. 42, 12, 7.

haustus Lr bis || *hiatus* Lr [rictus] || *incursus* Lr [impetus] || *initus* Lr [1) aduentus; 2) initium [1]) T Turp.] || *intactus* Lr I 454 qui uersus fortasse spurius est [cf. non tangendi copiast T eun. 638] || *introitus* Lr bis [(tempus) introeundi] || *meatus* Lr saepius [iter] || (*linctus* quod Lachm. proposuit Lr VI 971 uix est probandum) | *offensus* Lr quinquiens; Stat.; Tertull. [offendere] || *opinatus* Lr [opinio] || *oppressus* Lr; Sidon. [-sio T] || *ortus* Lr saepius [orior] || *petitus* Lr [petere] || *ploratus* Lr; Cic. poet. tusc. II 8 [lamentatio] || *procursus* Lr [impetus] || *proiectus* corporis Lr; Plin. [prosternere] || *refutatus* Lr [confutare] || *repulsus* Lr; Cic. poet. [reicere] || *singultus* Lr; C 64, 131 | *subortus* Lr V 303 ἅπ. λεγ. [orior] || *transpectus* Lr [prospectus] || *tractus* Lr || *summatus* Lr V 1140 pro *principatus* quod in metrum dactylicum non quadrat [imperium] || *uagitus* Lr [uox pueri uagientis T]. — *disiectus* Cic. [-tio T] || *pressus* Cic. [premere].

c) satirica: *assensus* L [assentatio] || *hinnitus* L; Lr || *quiritatus* L [clamor] || *reuentus* Sueius moret. ἅπ. λεγ. [reditus].

d) lyrica: *interitus* C 68, 25 [exitium] || *uolatus* 55, 24 [uolare] || *ululatus* 63, 24 [clamor] || *raptus* 68, 87 [rapere] || *secubitus* 64, 381.

16) in **-ium:**

a) tragica: *concubium* E 241 [= concubitus]; (P trin. 886 = concubia nocte) || *exordium* E [principium] || *naufragium* inc.; Lr [cf. naui fracta eiectus est T And. 923] || *obluuium* A [cf. e. g. Festi malluuium] || *primordium* A; Lr Cic. [principium].

b) epica: *coniugium* (= coniunctio) Lr III 843 sqq.; apud A et T = matrimonium || *contagium* [2]) Lr quater in

---

[1]) P et trag. ignorant substantiuum *initium*; occurrit autem apud P bis *inire* eodem quo *incipere* sensu: trin. 301 et 305; pro substantiuo *initium* legitur *principium* quod etiam apud T multo saepius obuiam fit quam *initium*.

[2]) Cum substantiua *contāgĭō*, *oblīuĭō* in metrum dactylicum non quadrarent, a Lr et *contagium* et *obliuium* nouata sunt; quas forma-

pluralis casibus in *-a* [contagio P Amph. prol. et trag.; labes] || *effugium* Lr [fuga] || *fastigium* Lr [columen] || (*nauigium* Lr V 1004; Lachmannus et Bernaysius hunc uersum spurium putant; Munro scribit *naucleri*) || *opprobrium* Lr [probrum] || *obliuium* Lr quater pluraliter in *-a* [obliuisci] || *peruigilium* Lr [-lare] || *profluuium* [profluere].

d) lyrica: *basium* C [sauium]. C a *basium* deriuat *basiare* et *basiatio*; quae uocabula amplexi sunt Petronius et Iuuenalis et Martialis qui ex ipsorum ingenio addiderunt *basiator, basiolum* (C *sauiolum*), *perbasiare* || *haruspicium* C; Suet., Censorin., Auson. [auspicium, augurium].

17) in -x:

a) tragica: *fornix* caeli E [templa caeli T] || *latex* fem. A; masc. Lr saepe [aqua] || *struix* N (P Men. 102 *struices patinarias* cum tumore quodam dictum) [aceruus] || *subex sūbicis* E prima syllaba producta, cum posteriores poetae uocis *obices* corripiant primam syllabam || *uortex* quater: Lr ter; C [aestus, turbo; columen].

b) epica: *ilex* E^a [ilignus Caec.] || *trifax* E^a; Gell. || *cortex* Lr bis; C || *faex* Lr || *frutex* Lr (P most. 13, conuicii causa).

c) satirica: *furnax* L [furnus] || *natrix* L (flagellum ex cute serpentis quae natrix dicitur factum) || *podex*[1]) L [clunes, nates] || *ramex* L: apud P *ramices* pluraliter significant p u l m o n e s || *rupex* L [truncus]; Ritschelius P most. 13 codicum lectionem *frutex* in *rupex* mutauit; Lorenzius autem suo iure *frutex* seruare mihi uidetur, cf. Apul. apol. 66.

d) lyricum: *pollex* C.

tiones subsequentes epici non respuebant. Alterum autem neglexerunt quod Lr finxit pro *contagio* uocabulum *contages* in formis *contāgĕ* et *contāgĭbŭs*; pro forma *contage* III 732 Lachmannus *contagibus* scripsit.

[1]) *podex* L et *culus* C et Plautina *clunes* et *nates* de hominibus sunt dicta.

18) in **-rum (-ra), -lum:**

a) tragica: *delubrum* A bis; P Poen. V 4, 2 [1]) imitans grandius dicendi genus: Lr septiens [fanum P saepe in rud.; bis templum rud. 909; mil. 413 || *terriculum* A bis [-la Afran.; L et alii] || *scatebra* A [scatere].

b) epica: *polubrum* Li Od.; Fab. Pict. || *flustra* Np [Neptuni pax propitia P trin.] || *flabrum* Lr bis [spiritus] || *haustrum* Lr (modiolus Vitr.) || *lauabrum* Lr [pyelus P] || *stuprum* Np [dedecus]; alio sensu P || *ueratrum* Lr [helleborus].

c) satirica: *cenaculum* L (P Amph. et Ea translate de caelo dictum) || *cerniculum* L ἅπ. λεγ.; Cato r. r. incerniculum || *discerniculum* L; V l. l. || *scalprum* L [culter]. Accedit in **-ula:** *uerticula* L; Vitr.

d) lyrica: *aratrum* C [arare, uomer] || *latibulum* C [latebra].

19) in **-tum:**

a) tragica: *anfracta* A || *arbusta* N; Ea Lr Cic. [uirgae; arbores] (poetae epici, cum multae uocis *arbor* formae in metrum non quadrarent, ad *arbusta* refugerunt, neque *alta arbusta* uitarunt) || *fretum* saepe; L et Lr qui etiam formas quartae declinationis usurpant; quin etiam creditur comoedia Plautina ita esse inscripta [mare] || *lacertum* A (piscis) || *letum* octiens; Ea semel, Lr saepe, Cic.; C; ter apud P cum grauitate quadam dictum [mors, nex, exitium] || *tortum* Pa [funis].

b) epica: *uerutum* Ea [pilum] (idem uersus Lr IV 407) || *arbutum* Lr || *fluentum* Lr [amnis, fluuius] || *rictum* Lr bis;

---

[1]) *Fuit hodie operae pretium cuiuis, qui amabilitati animum adiceret,*
Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum eo uisere uenit.
Disputauit de sollemni usu uerborum *aedes, templum, fanum, delubrum* similibus Jordan in Herma XIV 567 sqq.; poetas autem hunc usum non semper seruasse ipse concedit.

Cic. Verr. IV 94 [rictus, -us com. fr.; C] || *uinetum* Lr bis [uinea] || *uirgultum* Lr ter; C [uirga].

c) lyrica: *peditum* C 54, 3 [crepitus (uentris) P Curc. 295] || *sepulcretum* 59, 2 ἅπ. λεγ. [sepulcrum].

§ 7.

B. Cetera substantiua non composita.

1) substantiua primae declinationis.

a) tragica: *aura* Pa; E^a Lr saepe; L; C [aer, uentus] || caelitum *camilla* Pa [administra] || *bigae* E; C [currus] || *cauda* A; L; Lr || *fluuia* A [-us] || *fuscina* (= tridens Neptuni) A; aliter P uidul. 11, 1 || *gena* quater; Lr; C [bucca, os] || *gleba* A; E^a bis; L; Lr septiens || legum *habenae* inc.; aliter Lr || *manticula* Pa [marsuppium] || *pinna* E A; L; Lr Cic. [uulgarem formam fuisse puto penna: pinnula P Amph. prol. 143] || *pruina* Pa; Lr sexiens || *scrupea* A [-ulus T] || *tonsilla* Pa A; E^a; L || *trabica* Pa [sc. nauis] || *uena* A || *uerruca* inc.; L.

b) epica: *puera* Li Od. N^p; Nel. carm. [puella] || *falarica* E^a; Verg., Liu. [hasta] || *fossa* E^a Lr; C || *iuba* E^a; C [P iubatus] || *lama* E^a [palus] || *parma* E^a bis, Lr [clipeus, scutum] || *spina* E^a Lr || *spuma* E^a Lr; C || *suada* E^a [suadela] || *tonsa* E^a ter; E Sota || *bractea* Lr [lamina] || caeli *cauerna* Lr Cic. bis [T templa caeli] || *caula* Lr octiens || *cicuta* Lr bis || *crista* Lr bis || *crusta* Lr || *infula* Lr [uitta] || *inula* Lr || *lea* Lr V 1316[1]) (C *leaena* 64, 154) || *lucla* Lr III 1015 ἅπ. λεγ. [piaculum P] || *mica* auri Lr; C || *norma*[2]) Lr [lex] || *regula* Lr || *saliua* Lr bis; C || *serra* Lr bis || *secta* N^p Lr; C 63, 15 [sectari].

[1]) *lea* cum in lingua graeca non occurrat, a Lr fictum esse uidetur, quem posteriores poetae imitati sunt.

[2]) *norma* ex graeco putat γνωρίμη deriuatum Weise, Griechische Wörter in der lateinischen Sprache. Sed nescio an descenderit a stirpe latina *gno*, quam *r* littera auctam uidemus in uoce *gnarus* (cf. *narare*). Terminatio est eadem quam in *for-ma* habemus.

c) satirica: *gluma* E Euhem.; V r. r. ‖ *aluta* L [corium] ‖ *boa* uel *boua* L [panus com. fr.] ‖ *bulga* L ter, V s. M. ‖ *cala* L [fustis] ‖ *canicae* L ἅπ. λεγ. [furfures P] ‖ *capronae* L; Apul. [cincinni] ‖ *carisa*[1]) L [carisula com. fr.] ‖ *caupona* L [= copa] ‖ *fibra* L ‖ *galla* L de malo uino dictum [posca] ‖ *gullìuca* L ‖ *gumia* uel *gomia* L; Apul. ‖ *lacuna* L; Lr quinquiens ‖ *mantica* L [sarcina] ‖ *mantisa* L [lucrum] ‖ *mappa* L ‖ *menda* feminini generis L [erratum P] ‖ *palea* L ‖ *pila* (ex pisula ortum; cf. *pistillum* com.) L; Cato, Ouid., alii ‖ *ruta* L ‖ *scuta* L (Mueller *scutula*) [scutra] ‖ talla L ἅπ. λεγ. ‖ *tama* L ἅπ. λεγ. ‖ *tinia* L [blatta Laber.] ‖ *turma* L; Lr [cf. e. g. exercitus].

d) lyrica: *acina* C (alias *acinus* uel-*um*) [baca] ‖ *adultera* C ‖ *arista* C [spicus com. fr.] ‖ *lectica* C [lectus] ‖ *pituita* C [mucus P most. 1109] ‖ *rapina* C [praeda] ‖ *rixa* C bis [iurgium] ‖ *struma* C ‖ *nappa* C [nebulo] ‖ *uerpa* C ‖ *urina* C ‖ *maluae* Cinna.

2) substantiua alterïus declinationis.

α) in *-us* et *-r:*

a) tragica: *abigeus* E [abigere] ‖ *alueus* Pa bis (1) a. fluuii; 2) nauis) ‖ *freni* A; Lr ‖ *mundus* A [munditia] ‖ *nimbus* ter; L; Lr saepe [nubes] ‖ *sibilus* Pa; C (Lr *sibila* -orum metri causa) [susurrus] ‖ *subscus* Pa; Cato, Vitr. ‖ *torrus* Pa A [fax] ‖ *transtri* masc. forma N ‖ *tullii* E (cf. Tullianum) ‖ *tumulus* bis; Lr [cliuus T].

b) epica: *campus* E^{a} undeciens, Lr saepe; C sexiens; trag. ter; quater in com. [ager, area] ‖ *cohus* E^{a} (proprie aratri pars; apud E translate de caelo dictum) ‖ *famul* E^{a} Lr [famulus] ‖ *forus* E^{a} ‖ *fraxinus* E^{a} A^{a} ‖ *lituus* E^{a} [tuba] *riuus* E^{a} Lr; C ‖ *sagus* E^{a}; Afran. ‖ *surus* E^{a} bis [palus] ‖ *puer* [= puella] Li Od., N^{p}; Nel. carm. ‖ *fusus* Lr; C ‖ *iuuencus* Lr; C ter apud quem etiam *iuuenca* [*uitellus* uox blanda P] ‖ *uitulus* Lr ‖ *circus* Cic. metri causa pro *circulus* ‖ *lentiscus* Cic.

---

[1]) hoc uocabulum non ex Graeco χαρίεσσα depromptum esse Weise l. l. pag. 19 recte contendere mihi uidetur.

c) satirica: *ancarius* L ἅπ. λεγ. [asinus] || *bubulcus* L || *catinus* L; Hor., Varr., Plin. || *dictus* L [= digitus] || *ergastulus* ex graeco ἐργάζεσθαι latina fictum terminatione L 15, 30 ἅπ. λεγ. || *fimus* L [stercus, caenum, lutum] || *fiscus* L [fiscina] || *lacertus* L: Lr [bracchium] || *mergus* agrarius L = agrorum cupidus; apud Lr auem signifiat || *mediast(r)inus* L; Cato, Col. [balneator] || *nacuus* L [macula] || *panus* L 9, 28 (de glomere lini uel lanae hoc loco solo; com. fr. de tumore) || *rapister* L II 1 (cf. quae disputauit Studemund in Hermae I 284) || *sabucus* L || *trulleus* L [aqualis] || *truncus* L; Lr; P truc. II 2, 11 conuicii causa || *uellus* uel *uillus, -i* L [lana] || *uirus* L 5, 19 foetorem significat; apud Lr et uenenum et amarum maris saporem.

d) lyrica: *alnus* C || *caper* (P most. 41) de odore malo in alis C et Ouid. [hircum ab alis sapere P Pseud.] || *culus* C; Mart. [clunes, nates] || *cuniculus* (cf. V r. r. III 12, 6) C; Plin., Mart. || *cunnus* C; Hor., alii || *fagus* C || *grossus* Matius [ficus].

β) neutra in *-um*:

a) tragica: *aeuum* (masculina forma P Poen. V 4, 14 [1]) in precibus Ioui oblatis et Lr II 561. III 603) E Pa; E[a] Lr [aetas] || *plumbum* Pa [plumbeus nummus P] || *stagnum* ter; E[s]; Cic.; C [palus, uadum] || *tabum* E [tabesco].

b) epica: *noegeum* Li Od. 24 ἅπ. λεγ. || *libum* E[a] (trag. et Lr *libare*) || *scamnum* E[a] [solium Iouis P trin.] || *textrinum* E[a] || *iugerum* Lr || *necessum* Lr cum adiectiuo iunctum: nude positum P et alii [necessitas] || *uolta* plur. [uoltus] metri causa Lr; ita Cicero: *censa* [census] et *euenta* [euentus].

c) satirica: *gigeria* L; Petron., Apic. || *licium* L; XII tab. | *mutonium* L || *mundinum* L || *protelum* L bis; translato Lr bis; C || *rapum* L [rapulum Titin.] || *sagum* L [sagus E[a]; Afran.] || *scruta* L; Hor., Petron. || *sparum* L [pilum].

---

[1]) per errorem Rassowium formam neutralem hoc loco notasse putauerim.

d) lyricum: *ploxenum* C, quod Quintilianus I 5, 8 perstringit || *salaputium* C 53, 5 *ἅπ. λεγ.* || *scrinium* C [area].

3) substantiua tertiae declinationis:

a) tragica: *applar* Pa (= cochlear) || *collis* Pa A [cliuus T] || *consul* A || *frons*, -dis (E^a frus) inc.; Lr; C [folia] || *fulgur* A; Lr deciens (P Amph. 1062 *tonitrus* commemoratur, neque tamen fulgur aut fulmen) || *iubar* E Pa; E^a masc. gen. metri causa; Lr; Caluus [nitor, splendor] || *iuuenis* E. inc.; E^a Lr bis; L; C quinquiens (contra *iuuentus* etiam comici usurpant) [adulescens] || *linter*[1]) inc. [nauis, scapha] || *nemus* sexiens; A^a Lr septiens; C sexiens in LXIII, alias semel [lucus] || *ocris* Li quater || *poples* A; Lr; C [genu] || *raudus* A (rudus L) [saxum] || *scrilia* Pa [funis] || *sanguen* quater, E^a Lr bis [sanguis] || *seges* quinquiens (P aul. 45 stimulorum seges) || *sidera* A; Lr; C [stellae] || *stirps* undeciens; C (com. bis) [genus] || *tabes* (abl. -i) Pa; Lr [tabesco] || *temo* E; Cic. || *torris* A (torres Lr III 915 Lachm.) || *trio* N (cf. supra pag. 14) || *uitis* ter; Lr bis [pampinus P] || *strigo* Nel. carm. 4 *ἅπ. λεγ.*

b) epica: *daps* Li Od.; A; C [cena] || *moene* singulariter N^p || *ancilia* E^a; L [clipeus] || *hastile* E^a; Verg. [hasta] || *sicilis* E^a [P rud. 1169 sicilicula; machaera] || *termo*, E^a bis (cf. *termen* trag.) [terminus] || *umbo* galeae E^a || *gluten* Lr || *insile* Lr V 1353 *ἅπ. λεγ.* || *manes* Lr ter || *necessis* Lr VI 815 [necessitas] || *sulfur* Lr || *uallis* Lr; C || *uellus* Lr; C [pellis] || *uepres* Lr [sentis, -icetum]. — Porro metri causa *īmpĕtĭs* et *-ĕ* pro *īmpĕtūs* et *īmpĕtū* Lr quater deciens scripsit; Laeu. semel. — *fulix* pro *fŭlĭcă* Cic.

c) satirica: *caluaria* E^h || *mentis* forma nominatiui E Epich. [mens] || *adeps* L; pluraliter Lr || *altilia* L [P adiectiuum *altilis*] || *cadauer* L; Lr [cadauerosus T; mortuus] || *capis*[2]) L; Varr., Liu. || *centussis* L || *decussis* L || *gibber* L [cf. dossennus] || *gurges* L bis; Lr || *hir* L (χείρ) [manus] || *musimo* L || *muto* L [penis Afran.] || *ninguis* L;

[1]) ex graeco πλυντήρ deriuat Weise l. l. pag. 34.

[2]) Weise l. l. pag. 43.

Lr; Apul. ‖ *pus* L translate [cf. cor in *felle* est situm P truc. I 2, 77] ‖ *segestre* L ‖ *semissis* L.

d) lyrica: *ile* C ‖ *mugilis* C ‖ *occidens* C [sol occasus] ‖ *oriens* C ‖ *turben* C; Tibull. [turbo].

4) quartae declinationis sunt *pinus* E[a] (trag. pinos [acc. plur.]) ‖ *quercus* E[a] Lr; C.

§ 8.

De ratione quam uaria poesis genera in usurpandis his substantiuis secuta sunt.

Tabula substantiuorum nouatorum.

nouata in:	tudo	edo	tas	monia	ntia	ia, ies	o (masc.)	go	tio	io (fem.)	tor	omnia:
a tragicis in 1940 u.	21	—	26	1	6	7	1	1	9	2	12	
ab epicis in 8500 u.	—	1	10	—	5	7	1	1	2	—	8	
a satiricis in 1100 u.	2	—	4	—	—	7	10	3	2	1	16	
a lyricis in 2200 u.	—	1	4	—	2	5	—	1	14	1	11	

nouata in:	es	or	tura	men	(a) mentum	tus	ium	x	rum(a) lum(a)	tum	cetera	omnia:
a tragicis	8	8	—	8	(3)	25	5	5	3	6	55	212
ab epicis	1	19	10	26	4	52	8	5	7	6	69	242
a satiricis	—	4	2	1	4 (1)	4	—	5	5	—	70	141
a lyricis	—	1	—	1	1	5	2	1	2	2	27	81

Si numeros omnium substantiuorum respexerimus, quae in singulis generibus nouata occurrunt, eosque comparauerimus cum numero uersuum qui exstant, plurima satiricos nouasse apparet, quippe qui in 1100 uersibus 141 nouata exhibeant; tum tragicos qui in 1940 uersibus praebeant 212 substantiua apud comicos non occurrentia; deinde lyricos 81 in 2200 uersibus. Apud epicos 242 quidem occurrunt noua, ita ut numerus sit omnium maximus, uersus tamen qui supersunt 8500 ceteros longe superant. Quamquam summa cautione opus est in his numeris comparandis, cum tragoediarum et satirarum sola fragmenta exstent, quae fere

omnia ob insignia uerba et audaciores formationes a grammaticis sunt seruata; comicorum autem et epicorum et lyricorum genuina et integra opera, quae praeter fragmenta supersunt, in multis uersibus nihil habent notabile.

Omnia substantiua in duas classes diuisi, id quod laterculi quos perfeci demonstrant: Priore loco in § 6 ea attuli quae certis suffixis sunt deriuata, in quibus maxima mihi inesse inter uaria poesis genera differentia uidetur. Altero loco in § 7 ea attuli quae aut primitiua sunt aut suffixis minus frequentibus ita sunt instructa, ut certae classes parum commode statui possint. Quibus in substantiuis magna quidem differentia uariorum poesis generum non conspicitur, cum si occasio esset data, futurum fuisset ut multa etiam a comicis usurparentur; multa autem eiusmodi sunt, ut uel huic uel illi generi soli apta esse uideantur. Ita in numero tragicorum non pauca occurrunt, quae nisi in elatiore oratione non leguntur, quorum loco in submissiore dicendi genere alia quae uncis inclusa addidi, usurpantur; nec uetustiora substantiua quae praecipue inter tragica[1]) leguntur nisi elatiori dicendi generi apta sunt. Contra in satirarum fragmentis ea inuenimus exempla, quae magis in uulgari usu erant. Accedit quod apud epicos propter metri necessitatem nonnullae formae obuiam fiunt, quas ceteri respuunt, id quod in singulis exemplis monui. Cetera quod non antea leguntur casui est tribuendum.

In altera autem illa classe substantiuorum, quae priore loco posita per terminationes digessi, certam rationem intercedere inter uaria poesis genera numeri luculenter euincunt. Quae quo clarius cognoscantur differentiae, iam altera tabella demonstrabo, quot substantiua terminationum

---

[1]) Recte enim monet Ribbeck in libro, quem de uetere Romanorum tragoedia germanica lingua composuit, sermonem tragicum semper uerborum et formarum obsoletorum amantissimum fuisse et sui propriam dictionem parem seruasse inde ab initio usque ad Acci et Caesaris Strabonis tempora; contra comoediam, quippe quae sermonem cotidianum imitari studeret, ex huius sermonis mutationibus pendere et semper fluctuare.

principalium omnino occurrant et apud comicos et tragicos et epicos, nec neglegere uolui ostendere, quot multo posteriore tempore in usu mansissent prosae orationis, numeris additis ex Pauckeri HA.

exhibent in:	tudo	tas	ntia	o, io ; m.	tio	io, f.	tor	or abstr.	tura	men	mentum	tus
comici in u. 30000	30	105	35	47	123	12	165	35	20	24	52	125
tragici in u. 1940	28	50	14	2	18?	7	22	26	4	18	3	63
Lr in u. 7500	1	24	7	2	5	2	—	49	13	26	13	110
HA	19	121	30	23	203	15	128	34	21	30	30	99

Iam singula uideamus: Substantiua in terminationem *-tudo* exeuntia prisca magis quam recentiore aetate uiguisse recte monet Paucker HA 36. Omnia quae apud comicos, tragicos, Lucretium notaui, sunt quinquaginta[1]), nisi quid me praeteriit; quorum ex numero triginta apud comicos, duodetriginta apud tragicos, unum apud epicos occurrunt; praeterea duo sunt nouata a satiricis, a lyricis nullum. Quos numeros si contulerimus cum uniuscuiusque generis uersuum numero, tragicos horum uocabulorum fuisse amantissimos elucet, cum in 1940 uersibus 28 substantiua in *-tudo* exeant, quorum multa uel pluribus locis leguntur. Tantum autem abest ut contenderim, si totae recuperentur tragoediae, fore ut in binis milibus uersuum non minus tricenis substantiuis in *-tudo* insit, ut concedam hanc abundantiam ex parte deberi ei quam monui rei, quod sola fragmenta exstant. Memorabile tamen illud est, quod ex ceteris poesis generibus pauca uel nulla a posterioribus grammaticis afferuntur exempla uerborum in *-tudo*; nam in fragmentis comicorum, quamquam eodem modo tradita sunt ac tragicorum fragmenta nec multo pauciora, decem insunt; apud Lucilium praeter unum nouatum *multitudo* nullum deprehendi. Comicorum autem loci, ubi haec substantiua occurrunt, plerique omnes granditatem aliquam aut ueram aut comicam prae se ferunt. Nam

[1]) ex his octo apud comicos et tragicos, unum apud comicos et Lucretium occurrunt.

interdum tamen et uocem comoedia tollit
iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Quam ob rem cauendum est, ne illa substantiua propterea, quod in comoediis occurrunt, omnia cotidianae orationis propria dicamus. — Eius autem rei quod epici, quorum oratio non multo minus elata est quam tragicorum, ea uocabula repudiant, causa in metro posita est: quae cum pleraque metro dactylico respuantur, alia epicis in eorum locum substituenda erant. Accommodantur quidem dactylis neque tamen apud huius aeui epicos leguntur quod uiderim ex substantiuis in *-tudo* haec sola: *habitudo* T Cornif. (*habitus* Lr) *asperitudo* Tertull. *perperitudo* A in septenario trochaico || *sollicitudo* PT | *assuetudo* || *desuetudo* | *mansuetudo* || unum *consuetudo* occurrit Lr IV 1275: *Quod superest, consuetudo concinnat amorem.*

Multo autem plura sunt substantiua in *-tas*[1]) exeuntia, quae et ipsa in elatiore poesi magis quam in sermone uulgari in usu fuisse exempla probant. Multa quidem ex his uocabulis in usum cotidianum transierunt — e. g. *ciuitas, facultas, libertas* alia —, alia sublimioris generis dicendi propria manserunt, alia neque ita pauca una cum eo qui ea finxit interierunt. Nam cum post florem tragoediae et comoediae tota fere poesis Romana seuerioribus metris uteretur quam tragici et comici, maxime autem uersibus dactylicis, plurima ex his uocabulis erant repudianda. Sane ex omnibus quae apud huius aeui poetas occurrunt, non plus 37 dactylis accommodantur, quorum 24 apud Lucretium leguntur, 13 prorsus repudiata sunt. Visa autem esse haec substantiua aptius ad tragicum quam ad comicum sermonem quadrare ea quoque re probatur, quod in comicorum fragmentis 15 nouata leguntur, quorum complura cum apud utrosque (tragicos et comicos) occurrant, ab utris sint nouata, uix diiudicabitur; contra apud tragicos 26: omnia quae in comi-

---

[1]) substantiua in *-tas* 888 enumerat Paucker in *Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung*, uol. XXIII (1877) pag. 139 sqq.

corum fragmentis leguntur, sunt 27; in tragicorum 50. Cum autem substantiua in *-tudo* uetustioris quam posterioris aetatis linguae Romanae magis propria uideantur neque tamen omnino euanescant, substantiua in *-tas* magis magisque aucta esse numeri euincunt; cf. Pauckeri adnotationem II A 36. Accedit quod in prisca quidem latinitate ab eadem stirpe saepe duo occurrunt deriuata, alterum in *-tudo* cadens, alterum in *-tas*[1]); aureae autem aetatis scriptores pro suo quisque ingenio alterum eligebant, alterum respuebant (cf. Thielmann, *de sermonis proprietatibus quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris* dissert. Argentorat. II 438). Cuius quidem rei initia iam apud Terentium animaduertere licet, qui ex uariis quae praesto erant deriuatis singula usurpare solet (uno excepto quod uiderim exemplo *pauperies* et *paupertas*). Vt autem substantiua illa in *-tas* praeferrentur, id potissimum effecisse putauerim, quod poetae dactylici, quorum uel in prosam orationem ualet auctoritas, uocabula in *-tas* facilius redegerint in uersum quam ea quae in *-tudo* desinunt, quippe quorum casus obliqui saepe metro repugnarent, etiamsi casus rectus accommodari posset.

De substantiuis in *-ntia* exeuntibus nihil certi statuere ausim, quamquam numeri euincere uidentur ea et ipsa sublimiori dicendi generi magis placuisse; sane in comicorum fragmentis non plus tria nouata sunt; sex ibi leguntur, quae eadem apud P et T occurrunt. Contra certe comicorum et sermonis uulgaris ac plebei sunt nomina illa, homines significantia, quae in *-o* et *-io* cadunt; nam cum comicorum exempla sint 47, satiricorum decem, apud tragi-

[1]) Vt paucis illustrem quae dixi, apud comicos et in *-tas* et in *-tudo* leguntur: *firmitas* P, *-tudo* P ‖ *lenitas* T, *-tudo* fr. ‖ *orbitas* P, fr.; trag., *-tudo* Turpil.; trag. ‖ *pulchritas* Caec., *-tudo* PT ‖ *seueritas* T, *-tudo* P ‖ *suauitas* P, *-tudo* P ‖ *uanitas* T, *-tudo* P; trag. — Accedunt apud tragicos: *acritas*, *-tudo* ‖ *uastitas*, *-tudo* ‖ Praeterea *solitas* trag., *-tudo* com. ‖ *uicissitas* trag., *-tudo* T. Paucker rationem substantiuorum in *-tas*, *-tudo*, *-edo*, *-tia*, *-ia* similium exemplis ex tota latinitate prolatis illustrauit l. c. pag. 159 sqq.

cos et epicos bina occurrunt, tria apud lyricos. Quorum loco urbaniori orationi in usu sunt ea quae in *-tor* cadunt.

Substantiua uerbalia in *-tio* exeuntia cum plurima in comoediis [1]) occurrant et in poesis lyricae Catullianae carminibus 1—60, in ceteris poematis lyricis non leguntur, in usu cotidiano omnium in ore ita uidentur fuisse, ut fere infinitiui germanici substantiui in modum usurpati uices agerent; quam ob causam a tragicis usus eorum aliquatenus restrictus est: nam ex 18 exemplis tragicis (quorum nonnulla fortasse iniuria iis obtruduntur: ut *adgnatio, statio*) quinque clausulam septenarii trochaici et senarii iambici efficiunt, ubi metro indulserunt poetae. Dactylici autem poetae metro coacti haec uocabula pleraque omnia respuerunt, quippe quibus nondum liceret in casu nominatiuo corripere *-o* litteram extremam; itaque mirum non est, quod in tot uersibus non plus quinque substantiua in *-tio* leguntur; quinque alia, quae apud tragicos uel comicos occurrunt nec dactylicum metrum reformidant, apud huius aeui epicos non leguntur: *exitio* P *ἅπ. λεγ.* || *seditio* || *cognitio* || *sorbitio* || *itio*.

Aliter res se habet in uocabulis in *-io* a stirpe uerbali deriuatis, quae non respuebant tragici, siquidem septem apud eos inueni, cum 12 apud comicos legantur. Lucretius

[1]) In sola comoedia haec est eorum natura, ut medium quendam locum obtineant inter uerba et substantiua. Saepissime igitur, ut exponit Holtzeus synt. prisc. Lat. I. pag. 13 sq., aeque atque uerba cum aduerbio loci coniunguntur, retinentque structuram uerborum ita ut ea sequatur is casus, qui uerba sequi solet, unde ista substantiua deriuata sunt. Ita truc. II 7, 61 sq.:

Quid tibi huc uentiost? Quid tibi hanc aditiost?
Quid tibi hanc notiost, inquam, amicam meam?

Neque tamen Draegero, histor. Syntax I pag. 330 concedere possum hunc usum uni Plauto familiarem fuisse, cum unum Caecili certe exstet exemplum, quod plane cum Plautinis congruit u. 62: *Quid tibi aucupatiost Argumentum aut de amore uerbificatiost Patri?* Contra apud Terentium eun. IV 4, 4: *Quid huc tibi reditiost? uestis quid mutatiost? uestis* genetiuus est; nam accusatiuus pluralis eam ob causam probari nequit, quod uestis substantiui apud comicos solus singularis numerus legitur.

usurpauit semel *condicio*, saepe *regio*; contra *internecio* et *obsidio*, quae metro dactylico non repugnant, apud epicos nusquam legi. Ennius qui in tragoediis *obsidio* scripsit, in annalium uersu 28 *obsidium* praetulit.

In substantiuis autem in *-tor* exeuntibus nemo differentias uariorum poesis generum quaeret, quoniam cum omnibus linguae latinae temporibus noua sunt formata, tum plurima, ut Paucker ostendit, in aenea latinitate.

Contra multum differre genera poesis in substantiuis abstractis in *-or* desinentibus ex numeris intellegitur. Nam quamquam multa in usum cotidianum erant recepta, tamen plura elatiorum poesis generum propria manserunt. Etenim cum lyrici et satirici pauca addiderint, plurima exstant nouata apud epicos neque ita pauca apud tragicos. Atque si tragicorum omnia substantiua abstracta in *-or* et epicorum cum comicorum numero comparauerimus, amantissimos eorum fuisse epicos euincitur, qui quidem multo pluribus usi sunt quam comici. Neque id mirum. Illi enim cum fere omnino abstinere se cogerentur grauibus illis substantiuis abstractis in *-tudo* et *-tas* cadentibus, quae tragici adamabant, nisi his quae metro non repugnarent illa compensare uix poterant.

Atque numeri his in exemplis eo clarius rem illustrant, cum epicorum substantiua in *-or* (49) apud solum Lucretium obuiam fiant in 7400 uersibus, in comicorum autem uersibus fere 30,000 non plus 35 legantur.

Eodem modo substantiua in *-men* desinentia epicis in deliciis sunt. Nouata enim uel primum usurpata apud epicos priscos enotaui uiginti sex, cum omnia, quibus comici utuntur, sint uiginti quattuor; omnia epicorum 33; nec minus his substantiuis fauisse tragicos apparet, quamquam non plus septem nouarunt; nam apud eos in 1940 uersibus 18 occurrunt; contra satirici ne unum quidem addiderunt, lyrici unum; unde perspicitur haec quoque nomina elatioris dicendi generis magis propria fuisse quam tenuioris.

Ex contrario pleniorem terminationem *-mentum*[1]) de-

[1]) De his terminationibus *-men* et *-mentum* disputauit Corssen, krit. Nachträge pag. 124 sqq.; cf. etiam Paucker HA 13* adn.

missiori poesi magis familiarem fuisse exempla testantur; nam praeterquam quod comicorum 52 exemplis tragicorum tria sola opponuntur nec plus 13 epicorum, quinque nouata occurrunt in poesi satirica, quippe quae et ipsa tenuius dicendi genus affectet.

Supra uidimus uocabula in *-tio* saepius in sermone cotidiano quam in elatiore poesi usurpata esse. Sed cum eis quae his substantiuis exprimuntur notionibus nullo modo possent carere poetae tragici et epici, ad alias formationes refugiendum erat, quae elatiori orationi aptiores uiderentur, et ex his selecta est deriuatio uerbalis in *-tus, -ūs*. Nam si numeros quos substantiua in *-tio* et *-tus* cadentia in uariis generibus efficiunt inspexerimus, cum in his quidem non idem ualeat, quod ad substantiua in *-tudo* et *-tas* monuimus (uix enim ullus uersus ob notabile aliquod uocabulum in *-tus* a grammaticis citatus exstat), iam uidebimus, quantopere in his differant singula genera: nempe tragicorum nouata in *-tus* fere ter tantum sunt quam in *-tio*[1]) (25: 9), epicorum uiciens sexiens tantum (52 : 2): satiricorum quattuor in *-tus* quae noua occurrunt in dactylico metro leguntur; duo in *-tio* in ceteris metris. Accedit, quod apud lyricos 14 in *-tio* nouata sunt, quinque in *-tus*, ita tamen ut illa in *-tio* in poematis illis occurrant, quae uariis metris condita tenui dicendi generi sunt attribuenda; illa autem in *-tus* in carminibus Catullianis inde a sexagesimo (praeter unum *uolatus* quod 55, 24 legitur; quo tamen carmine ludicram et iocosam quandam affectari granditatem in § 13 aliis confirmabimus exemplis).

Praeterea si totos numeros substantiuorum in *-tio* et *-tus*, quae apud comicos, tragicos, epicos leguntur, comparauerimus, eandem rationem recuperabimus; nam cum apud comicos numeri substantiuorum in *-tio* et in *-tus* fere iidem sint, apud tragicos ter uel quater tantum in *-tus* quam in *-tio* leguntur, apud epicos uiciens bis tantum. Itaque fieri non potest quin concedamus poetas tragicos et

---

[1]) quorum complura incertae coniecturae debentur.

epicos haec uocabula in *-tus* amplexos esse pro cotidianis in *-tio;* dactylicos autem poetas simul metrorum necessitati cessisse non est cur negemus. Attamen tantam imparilitatem, quanta Ennio in annalibus ter excidit, qui eius uestigia secuti sunt, imitari non sunt ausi, ut dicerent *occasus* pro *occasio* quae forma omnium aetatum usu sancita erat.

Substantiua in *-tura*[1]) praeter comicos praecipuo amore fouebat Lucretius, qui hac quoque terminatione substantiua in *-tio* compensare studuit. Neque tamen omnino poesis epicae illa propria esse dixerim, cum potius unius Lucreti quod uiderim sint propria: quattuor tragicorum quae cum comicis communia habent, sunt: *coniectura* ‖ *natura* ‖ *statura* ‖ *usura*.

In ceterarum terminationum substantiuis certae differentiae uix animaduertentur. — Quodsi in uniuersum numerum deriuatorum substantiuorum, quae in his quattuor poesis generibus occurrunt, contemplati erimus, tragicis plurima uindicabimus et epicis, quippe qui ad res a cotidiano usu remotiores describendas et illustrandas nouis notionibus et uocabulis fingendis operam dederint. Qui quantopere paupertatem linguae latinae ipsi senserint, ex Lucreti uerbis discimus:

I 136: *Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta*
difficile illustrare latinis uersibus esse,
multa nouis uerbis praesertim cum sit agendum
propter egestatem linguae et rerum nouitatem.

Sed haec de differentiis inter substantiua intercedentibus. Restat ut uerba faciam de nominibus propriis[2]), quibus comoediam distare a tragoedia consentaneum est. In comoediis sunt nomina sonantia, in tragoediis uere propria; in illis solent cum nominibus mores et officia personarum congruere. Nam ut in Atellanis *Dossennus, Maccus,*

[1]) cf. Classen, zur Geschichte des Wortes Natur, Frankfurt 1863 pag. 7 sqq.

[2]) de comicorum nominibus propriis disputauit E. Koenig, Patschkau 1876.

Bucco certas personas significant, ita in palliatis *Parmeno* (*παραμένων*) est seruus fidelis, *Thraso Polemo Pyrgopolinices Stratophanes* milites, *Pamphilus* amator, *Pamphila Antiphila Philumena* aliae amasiae, *Gnatho Artotrogus Gelasimus Curculio* parasiti, *Lysiteles* sagax et prudens adulescens, *Lesbonicus* prodigus. Alia *κατ᾽ ἀντίφρασιν* sunt dicta: *Misargyrides* est tarpessita, *Saturio* parasitus, similia. — Contra tragoediae nomina sunt uere propria neque nomina graeca mutabantur, nisi quod ad linguam latinam assimulata sunt, ut *Alcumena Alcumeo Agamemno Hecuba*, genetiui *Nestōris Hectōris*, alia. Sed ultra procedere non licuit; mox adeo ipsa Graecanica horum nominum forma recepta est, praeter ceteros ab Accio[1]: in prosam autem orationem praecipue Varronis auctoritate hae formae adoptatae uidentur; cf. Stuenkel, *de Varroniana uerborum formatione*, Argentorati 1875, pag. 5 adnot.

In poesi tragica, epica, lyrica *Graeci* appellantur *Grai*, quae forma semel in comoediis legitur P Men. 715 (cf. Brix ad hunc locum). In epica poesi et satirica hexametro condita Graecorum in modum patronymica, quae dicuntur, metri necessitate ducti poetae a nominibus Romanis deriuarunt, neque ita seuere deriuandi regulas retinuerunt. Nam ut a *Scipio*, cuius uocis stirps *scipion* est, patronymicum *Scipiades* pro *Scīpiōnides* fingunt, ita ab ipsis patronymicis latinis in *-ius* alia graeca terminatione deducunt ut Lr *Memmiades*. Primus huius usus auctor uidetur Lucilius fuisse, cum Ennius maluisset hiare: *Scipio-inuicte* quam graecis formis linguam latinam inquinare. Omnia exempla collegit L. Mueller d. r. m. 389 uno praetermisso *Apulidae* L 3, 32 quod etiam Georges omisit. Apud huius aeui poetas occurrunt haec: *Memmiades* Lr || *Luciliades* L || *Scipiades* L bis: Lr || *Tuscolidae* L || *Romulidae* Lr. — In comicam quidem partem hac terminatione Plautus usus est, qui iocandi causa non ad nomina propria, sed ad uocabula comice ficta

[1]) cf. Varro de l. l. X 70: Accius haec in tragoediis largius a prisca consuetudine mouere coepit et ad formas Graecas uerborum magis reuocare, a quo Valerius ait: *Accius Hectorem nolet facere, Hectora malet.*

adiecit *-ida* uel *-ides*, plerumque ut seruos quasi ortos ex illustri gente significaret (cf. Brix ad P trin. 1022). Sed de his infra in § 12 erit disputandum.

In elatiore poesi sola occurrunt composita cum *-gena*: *Graiugena* Pa; Lr Verg. || *Troiugena* Lr; C || *Cadmogena* Semele A || *Nysigena* C 64, 252.

Caput II.

A d i e c t i u a s i m p l i c i a.

§ 9.

Adiectiua denominatiua.

1) Adiectiua exeuntia in **-eus**:

a) tragica: *alneus* A || *flammeus* saepe; Lr [flamma] || *igneus* inc.; Lr; Laeu. [cf. ignes lapideos Publil.] || *lacteus* Li; Lr bis [lacte] || *niueus* N; C || *saxeus* quinquiens: Lr quater; C [lapideus] || *scrupeus* E Pa || *sparteus* Pa bis.

b) epica: *pōpuleus* E[a] [P populnus] || *corporeus* Lr [corporis] || *Cerbereus* Lr || *creteus* Lr (Plin. cretaceus) || *fulmineus* Lr [nec f u l m e n nec f u l g u r a comicis commemoratur] || *marmoreus* Lr [albus, nitidus] || *pineus* Lr; C [cf. abiegnus] || *roseus* Lr ter; C || *taureus* Lr [taurinus P] || *uirgineus* Lr [uirginalis].

c) satirica: *iligneus* L; C; Colum. [ilignus].

2) in **-lentus**:

a) tragicum: *rorulentus* A.

b) epica: *gracilentus* E[a] [gracilus, -is] || *puluerulentus* Lr Cic.; Laeu.

c) lyrica: ? *pestilentus* Laeu. ἅπ. λεγ. nisi a uocabulo p e s t i l e n s forma *pestilenta* deriuanda est, ut apud eundem *silenta loca* a *silens*.

3) in **-osus**:

a) tragica: *bellicosus* inc. [bellator] || *globosus* Pa A; Lr || *obnoxiosus* E [satis cum periclo T] (P trin. 1038 et Epid.

683 = obnoxius) || *saeptuosus* Pa [obscurus T Andr. 23] || *uillosus* E [hirtus].

b) epica: *citrosus* N[p] ἅπ. λεγ. || *frondosus* E[a]; C; Varius trag. || *lutosus* E[a]; L [luteus] || *labeosus* Lr ἅπ. λεγ. || *neruosus* Lr [robustus] || *ramosus* Lr ter || *fragosus* Lr a fragor deriuatum [sonare].

c) satirica: *acerosus* L || *inuidiosus* L [inuidus] || *lacrimosus* L || *labosus* L ἅπ. λεγ. || *pilosus* L; C [hirtus Laber.] || *rugosus* L [rugae in ore extenduntur Titin.] || *squarrosus* L ἅπ. λεγ. || *strigosus* L [macer]; cf. strigo Nel. carm.; fortasse tamen praeferendum est Lachmanni *tricosus*.

d) lyrica: *araneosus* C 25, 3; Priapea || *arundinosus* 36, 13 ἅπ. λεγ. [arundo] || *cuniculosus* 37, 18 ἅπ. λεγ. || *ebriosus* 27, 4 bis [ebrius] || *febriculosus* C 6, 4 [cf. febrim tibi esse P] || *imaginosus* 41, 8 || *iocosus* ter [iocare] || *morbosus* 57, 6 [morbo affectus T hec.] || *muscosus* 68, 58 || *ostreosus* fr. II 4 || *spinosus* 64, 72 || *spumosus* 64, 121 || *tenebricosus* 3, 11 [tenebrae] || *torosus* 63, 83 [robustus] || *uerbosus* 98, 2 [nugator, garrulus] || — *insidiosus* Laeuius [dolosus] || *rediuiosus* Laeuius ἅπ. λεγ. [scaber] || *somniculosus* Cinna; Laber. (somniculose P).

4) in **-nus**:

a) tragica: *anguinus* Pa; C 64, 193 [colubrinus] || *equinus* A [equus] || *fraternus* ter; C [fratris] || *infernus* Pa A; Lr; Cic. metri causa pro *inferi* || *matutinus* A bis; Lr; C [mane] || *uiperinus* A.

b) epica: *ferinus* Lr; Verg., Ouid. || *ferrugĭnus* Lr ἅπ. λεγ. [-neus] || *hodiernus* Lr [hodie] || *terrenus* Lr bis [terrestris] || *ueterinus* L bis [cf. iumentum, iunctae quadrigae].

c) satirica: *aprinus* L [aprugnus P] || *eburnus* L; Lr [eburatus] || *montanus* L.

5) in **-lis**:

a) tragica: *nemoralis* Pa [lucus] || *repotialis* Pa ex coniectura ἅπ. λεγ.

b) epica: *crudelis* E[a] Lr; C saepe [saeuus] || *genitalis* E[a] Lr saepe [natalis] || *lateralis* E[a] || *trabalis* E[a] || *ciuilis* Lr

[ciuicus P fr.] | *exitialis* Lr bis [exitiabilis P Ep. IV 2, 36 Goetz et Ussing cum codd.; Geppert sine caussa exitialis scripsit] | *fatalis*[1]) Lr || *generalis* Lr [uniuersus] | *letalis* Lr [capitalis] | *innumeralis* Lr [sescenti] || *muralis* Lr [murus] || *naturalis* Lr [naturā T ad. 126] | *pernicialis* Lr [exitiabilis] || *principialis* Lr bis || (*tonitralis* Lr I 1097; a Lachmanno, Bernaysio, Munroo *penetralia* scribitur).

c) satirica: *annales* subst. L; C || *herbilis* L [herbeus de colore P Curc. 231] || *pascalis* L; Cato || *parilis* L; Lr Cic. [par, compar].

d) lyrica: *aequinoctialis* C || *genialis* C || *gentilis* C || *iugalis* C || *litoralis* C [litus] || *penetralis* C [intimus] a *penitus* deductum; apud solum Lr ter a *penetrandi* uerbo deriuatur.

6) in **-arius** (substantiua et adiectiua):

a) tragicum exstat nullum.

b) epica: *stlatarius* E[a]; Iuuenal. | *armentarius* Lr [pastor].

c) satirica: *agrarius* L || (*ancarius* L = asinus) || *centenarius* L [cf. decem pondo P truc. V, 21] || *ceparius* L ἅπ. λεγ. [cepe] || *frigdarium* L [cf. frigida laui P most. I 3, 1] || *gradarius* L; Sen. epist. | *mixtarius* L [miscere] | *nummarius* L [tarpessita] || *quartarius* L (is qui mulos agit, cum quartam partem lucri accipiat) || *scripturarius* L || *scrutarius* L.

d) lyrica: *balnearius* C 33, 1 [balneator] || *cinerarius* 61, 131 | *librarius* 14, 17 [scriba] | *semitarius* moechus 37, 16 || *sudarium* 12, 14; 25, 7.

7) in **-(a)tus**[2]) a nominibus deducta:

a) tragica: *cornuti* A [= tauri] || *cornuatus* inc. || *crinitus* E [cincinnatus] || *lacuatus* E || *lymphatus* Pa [insanus; cerri-

[1]) nec substantiuum *fatum* occurrit nisi quater in P Bacch. 953 sqq. epico loco; cf. Cic. de diu. II 10, 25: *totum omnino fatum etiam Atellanio uersu iure mihi esse inrisum uidetur, sed in rebus tam seueris non est iocandi locus.*

[2]) cf. Bordellé, de linguae latinae adiectiuis suffixo *-to* a nominibus deriuatis.

tus] || *pinnatus* A [pennatus] || *radiatus* A bis, inc.; Lr [radiosus P Stich. 365 ἅπ. λεγ.] || *sacratus* bis; C 55, 5.

b) epica: *rostratus* E[a] || *runatus* E[a] [hasta] || *tunicatus* E[a] [tunica] || *tutulatus* E[a]; Pompon. || *plumatus* Cic. [plumatilis. plumeus] || *saccatus* Lr || *turritus* Lr [turris P semel epico loco] || *uiduatus* Lr [uiduus] || *uiuatus* Lr ter [uiuus].

c) satirica: *pīlatus* E[s]; Hostius bell. Histr. [spissus] || *aceratus* L ἅπ. λεγ. || *adipatus* L [pinguis] || *capitatus* L [capito] || *cretatus* L [albus] || *nasutus* L || *paludatus* L || *pauperatus* L || *ratitus* L || opus *uermiculatum* L || *uiscatus* L [uiscum].

d) lyrica: *capillatus* C [cincinnatus] || *comata* Gallia C 29, 3; *comata* silua C 4, 11 || *pileatus* C [pileus] || *praetextatus* C || *torquatus* C || *uirgatus* C [uimineus].

§ 10.

Adiectiua uerbalia.

1) in -ndus, -bundus, -cundus:

a) tragica: *horrendus* inc. [horridus] || *labundus* A ἅπ. λεγ. [labi] || *fremebundus*[1]) A.

b) epica: *errabundus* Lr; C [errans] || *furibundus* Lr; C [uesanus] || *tremebundus* Lr Cic.; C [trepidus] || *uersabundus* Lr bis [uersare].

c) satirica: *fandus* L; C.

d) lyrica: *fecundus* C [ferax] || *nefandus* C [scelestus; nefarius Laber.] || *ustulandus* C [comburere].

2) in -lis:

a) tragica: *aduersabilis* A [cf. aduersatrix] || *agilis* inc. [mobilis] || *alternabilis* A (cod. *aeternabilis*) [fluxus] || *aspernabilis* A [aspernari] || *exsecrabilis* A [exsecrare com. fr.] || *flebilis* A; L [lugubris] || *gradilis* Pa || *horribilis* A; Lr Cic.; C [horri-

---

1) de adiectiuis in *-bundus* cf. Paucker Add. adnot. 45.

dus] ‖ *horrificabilis* A ‖ *inenodabilis* A; Cic. fat. § 18 ‖ *inexorabilis* Pa [exorare] ‖ *impetibilis* A ‖ *instabilis* Pa ‖ *luctificabilis* Pa [lugubris] ‖ *tabificabilis* A [tabescere] ‖ *terribilis* A; E[a] Lr Cic. [formidolosus N] ‖ *uolatilis* A; Sueius Lr; C [uolaticus P] ‖ *uolubilis* Pa; Lr bis [uoluo].

b) epica: *habilis* E[a] [idoneus T Afran.] ‖ *fragilis* A[a] Lr ‖ *adlaudabilis* Lr (P Persa 673 Ritschl *adiutabilis*) ‖ *aerumnabilis* Lr; Apul. [aerumnosus] ‖ *auersabilis* Lr [aspernari] ‖ *diffusilis*[1]) Lr [leuis] ‖ *innumerabilis* Lr [sescenti] ‖ *intactilis* Lr ‖ *inreuocabilis* Lr ‖ *inuiolabilis* Lr ‖ *insensilis* Lr ter ‖ *laudabilis* Lr [laudandus] ‖ *mactabilis* Lr [capitalis] ‖ *manabilis* Lr ‖ *nexilis* Lr [nexus] ‖ *penetralis* [penetrare] apud Lr ter a *penetrando* deriuatur; cf. lyricorum denominatiua in *-lis* ‖ *subtilis* Lr saepe; C [tenuis, minutus] ‖ *sensilis* Lr quater (argenteae aetatis scriptores *sensibilis*) ‖ *tactilis* Lr [cf. tactio] ‖ *textilis* Lr ter ‖ *uersatilis* Lr [uersare].

c) satirica: *genitabilis* L[2]); Lr; Arnob. [ferax] ‖ *monstrificabilis*[3]) L [prodigialis P] ‖ *mictilis* L 20, 4; Mueller *myctyris* ‖ *odibilis* A did. [odiosus].

d) lyrica: *inobseruabilis* C 64, 115 [obseruare] ‖ *miserabilis* C [miser] ‖ *rasilis* C [cf. rasum caput P].

3) in **ĭdus**:

a) tragica: *algidus* N; C [frigidus] ‖ *feruidus* A Iulius; Lr Cic.; C [calidus] ‖ *fumidus* A; Lr bis [plenus fumi T ad.] ‖ *gelidus* A; Lr Cic.; C [frigidus] ‖ *languidus* A; Lr; C [lassus] ‖ *rigidus* inc.; E[a] Lr; C [durus] ‖ *splendidus* E A; Lr; C [nitidus] ‖ *tepidus* E A; Publil. ‖ *torridus* A; Lr [aridus] ‖ *trepidus* inc.

b) epica: *flaccidus* Lr [lassus] ‖ *floridus* Lr; C [florens, floreus] ‖ *flŭidus* Lr; Verg., Ouid. [liquidus] ‖ *flūuidus*[4]) Lr II 464. 466 ‖ *fulgidus* Lr [nitidus] ‖ *lucidus* Lr; C ‖ *morbi-*

[1]) similiter formata affert Paucker Add. adnot. 34.

[2]) „Enni Epicharmum et Euhemerum uidetur tangere" Mueller.

[3]) „irridet illud *monstrificabile*" Mueller.

[4]) falso Georges exhibet *flŭuĭdus*.

dus Lr bis [cf. P truc. II 5. 13 id illi morbost] || *rancidus* Lr [putidus] || *tumidus* Lr [turgidus P] || *uiuidus* Lr [uiuus].

c) satiricum exstat nullum.

d) lyrica: *limpidus* C bis [purus, liquidus] || *rabidus* C [rabiosus] || *rosidus* C || *expauidus* Laeu. ἅπ. λεγ. [pauidus].

4) in **-tus** et **sus**:[1])

a) tragica: *celsus* sexiens; Li Od. E[a] ter; E[s] [altus; excelsus T] || *citatus* A bis; E[a] bis, Cic.; C Cinna [citus] || *inauratus* E [aureus]: apud Titinium significat non auratus || *inclutus* quinquiens: P ter; N[p] E[a] ter Lr || *percitatus* A [percitus].

b) epica: *fetus* E[a] Lr V Atac.; L; C [grauidus] || *aptus* primum quod uidi idem atque idoneus significat Lr IV 677 et C 28, 2; *apte* L 13, 6 || *auctior* Lr || *ancisus* Lr III 658 || *concretius* Lr || *coniunctius* Lr || *contractior* Lr saepe || *distractior* Lr || *diuisior* Lr || *fessus* Lr saepe [lassus, defessus] || *incitus* Lr octiens (pro incitatus, quod ad metrum non quadrat; aliter P et L ad incitas redigere) || *insitus* Lr quinquiens [innatus] || *perplexus* Lr quinquiens; Verg., Ouid. [-im P; -e T] || *diductius* Cic. [distrahere].

c) satiricum: *curtus* L; Lr [breuis].

d) lyrica: *auspicatior* Venus C 45, 26 [fortunatior][2]) || *inquinatior* 33, 3 [sordidus] || *obesus* Etruscus 39, 11 [pinguis, crassus]; contra apud Laeuium macer significat || *redimitus* 63, 3. 66 [ornatus].

5) in **-uus**:

a) tragica: *arduus* E; Lr; C Memmius; Laber. [altus] || *flauus* Pa; C [luteus] || *fuluus* Pa; E[a] bis, Lr Cic.; Caluus

---

[1]) ea tantum participia notaui, quae prorsus adiectiua facta sunt, uel quorum comparatiuus aut superlatiuus apud eos quos tractaui scriptores legitur.

[2]) *felix* et *felicitas* cum fortasse ad rem sacram potissimum pertineant, rarissime (ter) in comoediis leguntur (T et fr.); *faustus* semel T: *o faustum diem!*

lascinus Li A; Lr [lasciuibundus P Stich. 288 quod a Ritschelio sine causa in lixabundus mutatum putauerim] || *residuus* A = *reses* (cf. perpes et perpetuus [tardus, otiosus] || *toruus* Pa bis, A bis [saeuus].

b) epica: *nauus* E[a] bis [diligens; P nauē, T nauiter] || *menstruus* Lr bis; C [menstrualis P] || *natiuus* Lr saepe [innatus] || *perspicuus* Lr [clarus, P perspicuē].

c) satiricum: *cernuus* L [praeceps].

d) lyricum: *diffluus* Mat. ἅπ. λεγ.

6) in **-ns**: (cf. composita)

a) tragica: *exuberans* A [abundare] || *indecorans* A [indecorē P, turpis] || *infans* facinus A [infandum facinus T] || *religens* inc. [religiosus, pius] || *uiridans* A; Lr; C [uiridis P] || *uitulans* N bis, E; P Pers. 254 [laetus].

b) epica: *concupiens* E[a] 80 (concupio legitur apud Commodianum) [cupidus] || *constantior* Lr [firmus] || *cunctantior* Lr || *dominantior* L bis || *praestantius* Lr [insignis] || *rancens* Lr [putidus] || *rubens* Lr [rubidus] || *stellans* Lr Cic. || *superantior* Lr.

d) lyrica: *auens* Laeu. [libens] || *meminens* Laeu.; Auson., Sidon. [memor] || *silenta* loca Laeu. [tacitus, -urnus] || *flauens* C [luteus] || *uesaniens* C [uesanus].

7) in **-x**:

a) tragica: *capax* inc.; Lr [amplus, uastus] || *uorax* A; C [uorare, auidus].

b) epica: *sequax* Lr bis [sequens] || *uelox* E[a] Lr; L [celer].

c) satirica: *catax* L [claudus] || *tagax* L; Cic. epist. [furax] || *uatax* L [uarus].

d) lyricum: *salax* C [impudicus].

§ 11.

Cetera adiectiua quae non apud comicos leguntur.

1) in **-us, -a, um:**

a) tragica: *augustus* A, inc. ‖ *brutus* Pa bis; Lr [stolidus; grauis] ‖ *caerulus* E; E^a Lr septiens [P -eus] ‖ montes *confragi* N 58 ex coniectura ‖ *creper* Pa A bis; L; Lr [dubius] ‖ *densus* inc.; E^a; C [spissus] ‖ *dius* E; E^a Lr; C; L inc. 136 *Valeri sententia dia* fortasse ex E^a deprompsit [diuinus] ‖ *dusmus* locus Li [P capt. 860 non .. es in senticeto, eo non sentis] ‖ *ecuolus* E ex coniectura ‖ *ferus* saepe; E^a bis, Lr Cic. V Atac.; L; C; T semel [saeuus] ‖ *fidus* E bis, A; Lr; C (ter P trin. 832. 1096; rud. 955 in grandiore oratione pro usitatissimo in comoediis fidelis) ‖ *florus* saepe (cf. Seruius in Verg. Aen. XII 605: *florus* sermo est Ennianus) ‖ *funestus* A bis; Lr Cic. ter; C [exitiabilis] ‖ *fuscus* inc.; Cic. [ater] ‖ *pleros* Achiuos Pa 136; *plera* pars Pa 320 [plerique, plurimus] ‖ *prodigus* inc. [largus] ‖ *reciprocus* A ‖ *russus* E; Lr; C [rubicundus, rubidus] ‖ *scius* Pa [sciens] ‖ *squalus* E [squalidus] ‖ *tesca* loca E A [sola loca T] ‖ *tenebricus* Pa; Cic. poet. Tusc. II § 22 (cf. C tenebricosus).

b) epica: *cascus* E^a; Priami carm.; *priscus* E^a; C [antiquus, uetus, uetustus] ‖ *ningulus* E^a; semel P Men. 584? [nullus] ‖ *opacus* ter; C; Cic. [ater; umbraticus] ‖ *pandus* E^a Lr; L [curuus] ‖ *ruber* E^a Lr ter; C [rubidus] ‖ *alsia* corpora Lr V 1013 [frigidus] ‖ *anhelus* Lr [-ans T; C] ‖ *anxius* Lr; C [angere] ‖ *bibulus* Lr [bibo, bibosus] ‖ *delirus* Lr [demens] ‖ *exterus* Lr bis ‖ *externus* Lr quater [alienus] ‖ *finitimus* Lr [uicinus] ‖ *humectus* Lr [humidē P] ‖ *indigus* nouatum a Lucretio eodem modo quo a tragicis *prodigus* [trag. indiges, -is; com. īndĭgēns] ‖ *patulus* Lr V Atac. ‖ *Summanius* Lr V 521 quod Lachm. comm. 296 reiecit, Bergk in ann. phil. 83, 506 defendit.

c) satirica: *apricus* L ‖ *balbus* L; Lr; C ‖ *eminulus* L bis; V r. r.; Prudent. ‖ *macer* L; C [macilentus P] ‖ *plautus* L ‖ *remillus* L ‖ *sollo* Osca forma pro tota L ‖ *stlembus* L

ἅπ. λεγ. [tardus] ‖ *suppus* L; Lr [supinus] ‖ *uescus* L; Afran.; Lr ‖ *uncus* L; Lr sexiens [curuus].

d) lyricum: *uegetus* C [alacris].

2) adiectiua tertiae declinationis:

a) tragica: *caeles* adiectiuum E 269; *caelites* subst. trag. saepe; C ter; P rud. prol. ‖ *caelestis* Pa A; Lr [superus, diuinus] ‖ *cicur* Pa [mansues bis P] ‖ *indiges* E Pa [indigens P] ‖ *reses* Pa [tardus] ‖ *segnis* A ‖ *siluestris* A, inc. [silua] ‖ *sollemnis* inc. ‖ matronae *optumates* E [P summates uiri] ‖ *ueter* A; E[a] [uetus].

b) epica: *decor, -ŏris* N[p]; Sall., Apul.; cf. trag. *indecoris* [decorus] ‖ *quies, -etis* adiect. N[p] [quietus] ‖ *lēuis* Lr [politus] ‖ *teres* Lr bis; C bis.

c) satiricum: *rudis* L; C [asper] ‖ *piscinensis* L inc. 103, ubi Mueller scribit *Piscinensis*.

Tabula adiectiuorum nouatorum:

nouata in: ab	eus	lentus	osus	nus	arius	lis	(a)tus	ndus	īlis	idus	tus part.praet.	uus	ns	x	cetera in us	cetera III. decl.
tragicis	8	1	5	6	—	2	8	3	18	10	5	6	6	2	22	10
epicis	10	2	7	5	2	14	9	4	21	10	14	4	9	2	18	4
satiricis	1	—	8	3	10	4	11	—	3	—	1	1	—	3	8	2
lyricis	—	?1	18	—	5	6	6	3	3	4	4	1	5	1	1	—
omnia comicorum	37	16	77	97	99	62	69	17	56	40		43	30	30		
HA	31	3	53		123	136	70	—	38	31				11		

In adiectiuis, quibus cetera praeter comoedias genera utuntur nouatis, minus quidem quam in substantiuis certa et rata differentia inter uaria genera intercedere uidetur, quamquam uerbalia illa in *-ilis* et *-bilis* praecipuo amore amplexi sunt tragici et epici. Tragici fere soli adiectiua in *-ficabilis* exeuntia usurpant (duo exempla apud Plautum tragico tumore dicta leguntur: *ludificabilis, lucrificabilis*)

eamque ob rem a Lucilio carpuntur. Praeterea tragici et epici in deliciis habent adiectiua in *-idus,* quorum dena nouarunt; apud tragicos 27 occurrunt exempla, cum comicorum omnia sint 40. Contra ea quae in *-osus* finem habent adiectiua non uidentur placuisse sublimioribus poesis generibus, quamquam in Catulli epyllio duo sunt nouata, plurima autem quae Catullus finxit, in »nugis« leguntur.

In formandis participiorum comparatiuis Lucretius Plautinam fere aequat audaciam.

Quodsi comicorum perlustramus copiam adiectiuorum reputamusque, quae classes a ceteris poesis generibus euitatae in comoediis occurrant, maior et dilucidior reperitur differentia. Etenim cum uideamus tragicos in *-arius* exeuntia adiectiua nouasse nulla, epicos duo, quattuor Catullum in carminibus illis tenuiore conditis sermone, decem autem Lucilium addidisse, nonne concludamus oportet haec uocabula consilio ac ratione neglecta esse a poetis spiritus elatioris? Nam ut docent comicorum exempla 99 quae congessi, haec adiectiua et substantiua in *-arius* usitatissima erant in usu cotidiano; a poetarum autem oratione sublimiore plane abhorrebant. Eandem ob causam etiam aliae terminationes nonnullae a tragicis et epicis euitantur, quarum exempla apud comicos leguntur, ut puta **-ticius**, **-tiuus**, **-torius**. In **-ticius** et **-tiuus** apud comicos exeunt: *abditiuus* || *adoptaticius* || *ascriptiuus* || *caesicius* || *captiuus* (semel A 157) || *collatiuus* || *conducticius* || *conuenticius* || *demissicius* || *emissicius* || *expositicius* || *fugitiuus* || *(furtiuus)* || *proiecticius* || *subditiuus* || *suppositicius* || *subrepticius* (1) a *subripiendo* P Men. prol. 60 [Ritschelius *subrupticius*]; Poen. 816; 2) a *subrependo* Curc. 205 deriuatum). In **-torius (-sorius)**: *deuersorius* || *gladiatorius* T || *mercatorius* || *nugatorius* || *praedatorius* || *piscatorius* Afran. || *pugilatorius* || *sudatorius* || *tectorius* || *uorsoria.* Apud Pacuuium praetext. 2 coniecit Ribbeck *censorio,* Hermann *censor*; codd. *censoriae* uel *-c.*

Haec et similia adiectiua ob ipsorum uim ac significationem a sublimioribus poesis generibus aliena sunt.

Multa autem ex iis adiectiuis, quae in § 11 attuli, elatioris poesis semper propria manserunt eorumque loco in tenui dicendi genere ea quae uncis inclusa adieci usurpata sunt.

Capita III—VII legentur in uolumine VII dissertationum Argentoratensium.